

STAPHYLIS.  
et Tomus.  
prodit.





Nf. 27.





A

B

C

35 <sup>235</sup>

*Juvante Jovâ!*

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,  
De

# Immortalitate,

Sub PRÆSIDIO  
VIRI,

*Maximè Reverendi, Amplissimi ac  
Excellentissimi,*

DN. JOHANNIS MEISNERI,  
SS. Th. Doct. & P.P. Facult. Theol.

Senior. pro tempore Decan. templi Ca-  
thedr. Præpositi, & Consist. Eccle-  
siastici Assess.

*Patroni ac Præceptoris colendisimi,*  
proponit

M. Gottfried Müller /  
Stolbergensis Misnicus.

*Ad diem Octob. M. DC. LXIV.*

*In Auditorio Majori.*

ak

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.  
ANNO MDCXC.

No. 34.

an 35





3

9

1

M

+

H

L

X

1007







## Fova Fuva!

§. I.



**I**mmortalitatem in proscenium ducturi statim, proëmi loco, *Homonymiam* ipsius evolvimus. Potest autem res aliqua ob varias causas immortalis appellari & incorruptibilis; nimirum ( $\alpha$ ) ἁσιαδως & essentialiter, quatenus possidet impotentiam moriendi absolutam & omnimodam, quod summum & absoluteissimum immortalitatis genus est, & tam intrinsecus, quam extrinsecus immortalitatem infert, competitque rerum omnium causæ primæ, soli Deo creatori, utpote qui est solus ἔχων ἀθανασία 1. Tim. VI. 16. Rom. I. 23.

§. II. Deinde ( $\beta$ ) tribuitur *creaturis*; iisque vel ἀύλοις, & contagionis materialis expertibus, & significat *impotentiam moriendi ex gratia creatoris secundum substantiam*, quia carent materiâ, quæ est sedes & radix corruptionis substantialis. Et hoc genus iterum *dupliciter* se habere potest; *quædam* enim res omninò segregatæ sunt ab omni admixtione & societate materiæ, ut angeli; *quædam* consociatæ sunt quidem materiæ unione hypostaticâ, ad esse suum tamen ejus adminicu'ò non indigent; ut animæ. Pererius l. V. in Gen. de Corporis Immort.; Vel ὑλικοῖς & materiatis, ut significet *vel potentiam non moriendi*, quomodo illud immortale dicitur, quod actu quidem non moritur, mori tamen, certâ conditione positâ, possit, *potentiâ remotâ*; *Vel impotentiam*

A 2

mori-

R



2. S  
moriendi ex dono singulari, ordinatione Dei, cum rei corruptibili secundum naturam inhaeret aliqua dispositio, per quam a corruptione omnino prohibetur, ut loquitur *Thomas in I. part. qv. 97. art. 1.* Et hac ratione est iterum incorruptibile aliquid *vel secundum Gloriam* in statu naturae, plenarie restituta, proprium Beatis; *Vel secundum poenam* ex iustia Dei ultione, proprium damnatis. B. Gerhard. *Disp. Isagog. 22. §. 11.*

§. III. Ex qua brevi explicatione Immortalitatis facile perspicui potest, de quo nobis impraesenti Disputatione sermo erit futurus. Nimirum; *Quing. tractabuntur capita.* Primum aget de summo Immortalitatis gradu, qui creatori tribuitur; secundum de creaturarum *αὐλῶν*, tam intelligentiarum spiritualium, extra materiam constitutarum, quam sociatarum materiae, animarum, immortalitate; tertium de potentia non moriendi Protoplastorum, quam immortalitatem Innocentiae nominant; quartum gloriosam Beatorum, sextum demum & ultimum, poenalem Damnatorum Immortalitatem enucleabit. Sit itaque, annuente Deo Immortali.

## CAPUT I. De Immortalitate Dei.

§. IV.

*Triplicem agnoscunt viam Scholastici cognoscendi Deum, Causalitatis, Eminentiae & Negationis.* Illa nostrum intellectum, variorum effectuum causas rimantem, ascendendo tandem deducit ad primam, in eaque consistere monet. *Ista* perfectiones creaturarum in creatore arguit eminenter. *Hae* imperfectiones a Deo removet, *Thom. l. 1. cont. Gentes c. 14.* Quolibet harum viarum probat Dei Immortalitatem; imprimis v. tertia, utpote tritissima & tutissima visa omnibus aevi sapientibus, quae imperfectionem mortis removet a creatore. *Ung. indig. q. 1. c. 1.*

§. V. Monent a. Theologi, quod *negativa attributa*, qualia haec via suppeditat, cautissime sint intelligenda, & ut sic non competant



κ

ψ

ψ 3.

petant Deo (α) quia attributum debet declarare, quid res sit, non quid non sit (β) attributum divinum debet identificari cum essentia divinâ; negationes autem non identificantur, quia aliâs essentia divina consisteret in Negativo, & non esset positiva. Loquor de *attributis Metaphysicis*, nam Logicas prædicationes negativas competere Deo, nemo negat, ut: quando dicitur immortalis, infinitus &c. sed tamen talia *formaliter negativa* non tribuuntur Deo, sed *virtualiter tantum & illativè*, i. e. quatenus inferunt aut præsupponunt contrarium positivum, v.g. sola negatio mortis non est attributum Dei, quia etiam Chymaræ competit, sed ita est attributum, quatenus est signum perennis vitæ tanquam positivi. Vide *B. Hülfem. Gewissenswurm p. 216.*

§. VI. Ex quibus intelligitur, nos in hoc primo capite non tam de Immortalitate Dei, quam *perenni ipsius vitæ esse acturos*, ne magis aliquid de Deo negare, quam in eo ponere videamur, quamvis Immortalitatis vocabulum salvari possit eò sensu, quò nos in relatione ad nostram scientiam dicimus; nos melius scire, quid Deus non sit: Si enim rigidi esse vellemus, ne vitam quidem intellectus noster DEUS tribuere possit, quia nunquam intelligit vitam aliam, quam nostram, quæ cum sensuatione & motu est conjuncta, & tamen non nisi blasphemè de Deo potest dici, (*R. Muscatius ad librum Cosmi orat. 2. p. 41. ap. Excell. L. Scherzer. in tract. de Iis, quæ humanò more de DEO prædicantur*) ut proinde nos, perfectiones perfectissimas de Deo prædicantes, Deum magis vituperemus, quam laudemus, quia cogitationes nostræ ab impuritate non sunt defecatae; & ille, qui per multa attributa affirmantia Deum celebrat, similis sit ei (*quæ similitudo est R. Joseph. Albo Ikkarim l. 2. c. 22. ap. Excell. Scherzer. l. c.*) qui Regem habentem denarios aureos millies mille, commendaret totidem argenteis. Nonne, inquit, ignominiosum hoc Deo esset?

§. VII. Nos *humanò more de vita Dei loquentes* observamus, tripliciter vitam Deo posse tribui (α) *ἰσχυρῶς & essentialiter*, quia est vita ipsa, ex se, & naturâ suâ per seipsum *αὐτῷ ὡς θεῷ ἀείζωος*, & hoc quidem *ἀπλῶς & planè ἐξαρτέως*. (β) *συγκριτικῶς & ἀντιθετικῶς*, comparatè ac discretivè, respectu idolorum (γ) *ἐκπερικλυτικῶς*

υ

υ

υ

*3<sup>te</sup> vita de  
tribuit.  
1. ἰσχυρῶς  
2. συγκριτικῶς  
3. ἐκπερικλυτικῶς*

A 3

υπικῶς





ἡγεμονία & effectivè, quatenus aliis creaturis vitam largitur. B Ger-  
hard. Diss. Isagog. III. c. 5. §. 11. 12. Respicimus hoc loco ad primam  
significationem, quatenus Deus solus vitam habet à seipso, & in-  
seipso, à nullò principio dependentem, nulli corruptioni & muta-  
tioni obnoxiam, ut ne compositioni.

§. VIII. Hæc vita Dei quamvis ratione nostri distingvatur  
ab essentia Dei, aliter enim concipimus, ut est, aliter, ut vixit; ex  
natura rei tamen actu non differunt, quia vita Dei est ipsa etiam es-  
sentia Dei, & nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus. Tractanda  
autem hîc erit sine magnâ probationum pompâ, quia res est talis,  
ubi militat illud Pindari: Εὐάνθυμον ἐξείναι τείρα ἔπτα διακρέσει;  
quis enim tam perfrictæ frontis esse vellet, ut neget Immortalita-  
tem & vitam Dei? Unde etiam sapientiores Ethnici Cretenses  
ideò mendaces vocârunt, quod Jovem Deum esse profiterentur,  
& tamen mortuum eum esse, ac sepulchrum ejus se habere glo-  
riarentur.

Tit. 1. 12  
2m 3:  
ψ. 116.

§. IX. Πρὸς οὐρα ostendunt Scripturæ oracula (1) dictis  
affirmativis, quando Gen. XVI. 14. Deut. V. 26. viventem Deum,  
introducunt (2) negativis; ubi imprimis eminet, 1. Tim. VI. 16. quan-  
do solus ἔχων ἀθανάσιαν vocatur; quod ego (inquit Bernhardus  
Serm. 81. in Cant.) reor pro eo dictum, quod solus naturâ suâ sit in-  
commutabilis. Solus, ait, Natura, nam cætera omnia non tam Cœ-  
lestia quàm χεῖρα, nam quod boni in illo statu beatitudinis, in quo  
sunt, mutari in deterius non possunt, non est eis naturaliter insti-  
tum, sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum.  
Ursin. Quest. Bibl. l. V. c. 18. Sect. 2. ex Augustino.

lac. 1. 17  
pub. 3. 6.

§. X. Deinde pugnat pro Immortalitate & vita Dei peren-  
ni Simplicitas essentia, quæ removet omnem compositionem realem  
à Deo, vel quæ fit ex materia & forma, à partibus integrantibus  
& essentialibus, quæ non nisi in rebus naturalibus datur; vel quæ  
fit ex actu & potentiâ, quæ summam imperfectionem inferre, nec  
cum actualitate Dei summâ consistere potest; vel quæ sit ex sub-  
jecto & accidentibus, quæ independentæ repugnat; vel quæ fit ex  
essentiâ & substantiâ, quæ SS. Trinitatis mysterium destruit, & qua-  
ternitatem inauditam introducit; ut ad eò non benè stare possint

Vor-





Vorstii Hypotheses cum vitâ Dei, quando compositionem facit in Deo, partim respectu decretorum, quod tamen pia antiquitas nulatenus admisit; partim respectu potentiae activae & passivae, quod à potentia ad actum transeat, cum tamen illa non in Deo, sed extra Deum mutationem inferat; partim respectu materiae, quam vocat essentiae spiritualis & quasi formae, cum tamen nec propriè nec analogicè forma & materia Deo tribui possit. *Magnif. Dn. Calov. Syst. Theol. Tom. 2. p. 246.*

§. XI. Imprimis vera immortalitas ex Immutabilitate manat, omnis enim mutatio mortis est quaedam imitatio, ait Bernh. l. c. Creata omnia mutabilia sunt, etsi non ex intrinseco, tamen quatenus ab alio pendent; πᾶν τὸ ἀρξάμενον καὶ τελευτᾷ καὶ φύσιν Damasc. l. 2. c. 3. Solus verò Deus idem est, & permanet Ps. CII. 26. qui dicere potest: Ego sum, Exod. III. 6. Ego Deus & non mutor, Mal. III. 6. Si enim mutaretur, non esset stabilis, si non stabilis, mortalis, nam in quo est aliquid mutabile, non omninò est, quod est, & quod habet fuisse, quod jam non est, est futurum, quod nondum est, id non est propriè & absolutè, ait Anselmus in prosol. c. 22. propterea Augustinus lib. 3. contra Maximin. ap. Perer. l. IV. in Gen. II. 19. q. 2. Immortalitatis vocabulum 1. Tim. VI. 16. interpretatur positum pro immutabilitate, Jac. 1. 17. Apud Deum ὁμοειδία, ἢ ἰσομορφία, in quò alternata & permutata variatio locum non invenit, ac ea propter per omnia sibi semper similis. Tantùm enim abest, ut Sol justitiae & pater luminum, uti vocatur in hoc ipso versiculo, cum sole creato ὁμοειδία, diversasque formas ac facies induente, ὁμοειδία obnoxius sit, ut etiam vel ἰσομορφία ἰσομορφία, & ullius mutationis vestigium exulet, sive quâ proprietates, sive quâ naturam, sive quâ essentiam. Broehm. in Comment. sub b. l.

§. XII. Ita in auras evanescit monstrum Remonstrantium, quando quasi mutationem in Deo asserunt; Si enim ulla mutatio in Deo locum haberet, non esset id, quod est; quia quod mutatur, perdit aliquod esse, ac vicissim aliud esse acquirit. Rationes, quas proferunt, maximam partem à mutabilitate objectivâ operationum emanantium extra Deum ad mutabilitatem subjectivam attributorum inmanentium intra Deum argumentantur, ac propterea Flu-

Ex. 3. 6

Mal. 3. 6

Jac. 1. 17

1. Tim. 6. 16

Remonstrantium

Flu-



*αἰῶν* meræ sunt, in quibus ἔδὲν ὕγιες. Nec blasphematio impiorum aliquam passionem & mutationem in Deo realem, Physicam & subjectivam infert, sed intentionalem, Grammaticam, terminativam & χρονικήν tantum, quæ neque mutabilitatem, neque Immortalitatem Dei labefactare potest. B. Gerhard. Diss. Isag. III. c. 5. §. 11. 12.

§. XIII. Nec aliud insinuat *Æternitas DEI*, sumptò vocabulo æternitatis *αἰωνολέκτως* pro duratione sine termino, quæ finem habere nullò modo potest, quando Deus interminabilis vitæ totam simul & perfectam possessionem habere dicitur, Boëtii. Consult. Phil. l. V. prof. 6. Nam cum divina substantia non sit aliud, nisi vita DEI, nec sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfectè tota, quid aliud est vera æternitas, quæ soli illi convenit, quàm interminabilis vita, simul & perfectè tota existens? ait Anselmus prof. c. 24. ap. Magnif. Dn. D. Calov. Syst. Theol. Tom. 2. p. 365. Et hæc sufficiant de summo Immortalitatis gradu, Deo soli proprio.

## CAPUT II.

De

### Angelorum & Animarum Immortalitate.

§. XIV.

A Creatore ad creaturas venimus, & quidem in hoc capite ἀὐλγς, tum eas, quæ non sociatæ sunt materiæ, angelos, tum eas, quæ sociatæ, animas. Circa Angelorum immortalitatem breviter contra Sadducæos demonstrabimus, eam reverà iis competere partim per gratiam, partim per naturam; Animarum verò defendemus ex Scripturâ, & sententiam heterodoxam destruemus.

§. XV. Sadducæos non angelorum quidem existentiam, sed permanentem tantùm hypostasin, & ita immortalitatem negasse, dicitur. Credebant enim, inquit Episcopus Instit. Theol. l. 4. sect. 2. c. 2. de creatione fol. 347. angelos non nisi ad tempus istud esse, quò à DEO  
mit-



7

mittebantur, cum humanis corporibus pro tempore certò efformatis ad  
obeundum in iis legationem, eâ verò legatione peractâ, cum corporibus  
iis evanuisse, atq; esse desisse. Fecerunt verò hoc contra ipsissima  
Scripturæ verba Matth. XVIII. 10. ubi angeli in cælò ἄρα πάντες vi-  
dere faciem Patris cælestis dicuntur. Luc. XX. 36. Immortalitas  
beatorum per ἰσχυρίτηα probatur, quæ loca manifestè osten-  
dunt, Angelis Immortalitatem à parte pest in aeternum competere, &  
quidem cum per gratiam, tum per naturam.

§. XVI. Dicuntur hi termini ὁμοιότως Per naturam vocatur  
immortale, cujus natura non potest admittere mortalitatem, vel  
juxta naturalem, vel obedientialem potentiam, & coincidit cum  
summò Immortalitatis genere, Deo soli proprio. Hòc modò an-  
geli non sunt immortales secundum naturam, quia ipsorum natura  
dependet à Deo, qui propter libertatem in agendo angelos potuit  
non creare; vel creatos non conservare. Propterea multi Pa-  
tres, citati à Pererio l. IV. in Gen. n. 19. quest. 2. angelos animasque  
per gratiam putârunt immortales, eas nimirum non habere ex se  
vel à se immortalitatem, sed à Deo, qui, quantum ad actualem eo-  
rum existentiam, potuit & non creare, & creatos in nihilum redi-  
gere; quia ergò possunt esse & non esse extrinsecus, i. e. respectu  
habitò ad omnipotentiam Dei, propterea Patres dixerunt, eos  
non habere immortalitatem ex naturâ suâ, sed DEI gratiâ.

§. XVII. Deinde Immortale per naturam, vocatur, quod à  
naturâ non corrumpitur, nisi per retractionem manus & suspen-  
sionem generalis influxus divini. Et sic per naturam vocantur  
angeli immortales, quia ex simplicitate essentiæ intra sese non ha-  
bent aliquid sui corruptivum, quod tandem desinat, etiamsi Deus  
generalem suum influxum non detrahat. Citra enim additio-  
nem specialis gratiæ nec angeli per spontaneam collabentiam desine-  
re possunt, fieret enim ex intemperie partium & humorum, ut for-  
ma non habeat pro ulteriore permanfione commodas dispositio-  
nes in materia, quæ absunt ab angelis; nec aliunde vi creatâ cor-  
rumpuntur, quia non per annihilationem, quod est virtutis divinæ  
& infinitæ, nec citra annihilationem, quippe quæ est compositi ex  
partibus Physicis. vide Scheibl. Metaphys. l. 2. c. 4. p. 387. seq.

B

§. XVIII.



§. XVIII. Facimus accessionem ad animas, cui Duo, tanquam prodromos, præmittere lubet: scilicet (α) *catalogum eorum, qui animæ Immortalitatem negarunt*, recensēbimus (β) quæstionem illam, *an ex natura lumine Immortalitas animæ probari possit*, breviter ventilabimus.

§. XIX. Sicuti verò totum genus humanum in tres dispescitur ordines, *Ethnicos* scilicet, *Judeos & Christianos*; ita quemlibet horum negativam circa hoc caput sententiam, dispari tamen ratione, defendisse, ostendunt historici *Pherecydes Syrus* primò inter *Ethnicos* affirmativam defendendo de hac materia scripsisse fertur, *Cic. l. 1. Tuscu*: Sed quia auditores ejus semper ventorum procellis fuerunt similes, *brave somnium* ab aliis fuit nuncupatum, ut adeò vel non multos successores invenerit vel tamen dubitantes & fluctuantes. Eminuit verò præcipuè *Epicurus*, cui hunc furorem expressè tribuit. *August. l. VI. Confess. C. ult.* eiq; *Zenonem & Aratum* assensisse testatur *lib. de Spirit. § an. c. 48.* *Galenus* in libro, quod animi mores temperamentum corporis sequantur, perstringit *Platonem*, quod animæ immortalitatem defendere laboret, & a libi nescit, an animam vel qualitatem, vel temperamenrum vel substantiam nominare debeat. *Plinius* de animâ rationali pessimam fovit sententiam *l. VII. c. 55. puerilia deliramenta* nominans. *Lucretius lib. III. triginta* amplius argumentis animæ mortalitatem probare nititur, quæ refutavit *Lactant. l. VII. c. 13. p. 573.*

§. XX. Apud *Judeos* circa statum animæ post mortem corporis erroneas foverunt sententias *Sadducæi & Pharisei*. Illi crassissimè existentiam animæ post dissolutionem à corpore planè negarunt, ut colligere est ex *Actor. XXIII. 8.* Dicunt *Sadducæi* esse neq; angelum neq; spiritum, ubi Spiritus nomine, angelis contradistinctò, animam hominis intelligi necesse est, utpote quæ spiritalis est essentiæ. Sicuti enim resurrectionem corporum à mortuis inficiebantur *Matt. XXII. 23.* ita cum angelis negabant etiam animæ immortalitatem, quam censuerunt nihil aliud esse, quam *νεψων* seu naturalem elementorum temperaturam, quæ cum corpore simul intereat; *Josephus l. XII. Antiq. c. 2. Danb. Dram. sacr. p. 78.* Unde etiam quidam inter *Rabbinos* docuerunt,  
animas



9

animas impiorum morituras tanquam brutorum, & in extremo die non resurrecturos impios, de quâ controversiâ infra. *Pharisei* affirmabant quidem animæ immortalitatem, sed *in modô* errabant, *μετεμψυχωσιν* Pythagoricam approbantes, *Josephus l. II. de B. J. c. 7.* & Scripturam in subsidium vocantes *ap. B. Schlevogt. in Diss. de Metemps. Heb.* Obtinet verò h. l. iudicium *Lactantii l. VII. c. 12.* *Hac sententia diliri hominis, quoniam ridicula & mimò dignior, quàm scholâ fuit, ne refelli quidem seriò debuit, quod qui facit videtur vereri, ne quis id credat.*

§. XXI. Inter *Christianos*, si hoc nomine digni sunt, potius enim dicerem *hereticos*, hòc tempore agmen ducunt *Neo-Photiniani*. Hi, quamvis verbis non affirmant animarum, corporibus solutarum interitum, *Smal. Cont. Franz. Diss. VII. Thes 98.* tales tamen fovent hypotheses, quæ cum animarum immortalitate consistere nequeunt ( $\alpha$ ) animam solutam corpore non esse rem, quæ per se aliquò modò subsistat, *Socin. l. de Stat. pr. hom. p. 79.* ( $\beta$ ) animam, corpore solutam nihil sentire, nec ullò gaudio frui. *Smal. cont. Franz. Diss. VII. Thes. 101. ap. Brochm. Syst. Theol. de Morte c. 11. q. 10. & 11.* Et cur rationes nostras ex Scriptura, pro Immortalitate animæ militantes, destruere laborant *Photiniani*? Nimirum; quia cum hæreticâ ipsorum *ψυχοπανωχία* stare non possunt. Quid? quod *Raccovienses th. 10.* expressè negent, aliquam animam post mortem manere. In crustant ergò hic *Photiniani* errorem *Arabicorum*, ut vocantur ab *Eusebio & Augustino*, seu *διητοψυχιστῶν*, uti dicuntur *Damasceno*, qui hominum animas pecudum animis similes induxerunt. *vide Magnif. D. Praef. Diss. de Statu animarum post mortem §. 5.*

§. XXII. De *Sanctitate Papali* constat & certum est, quosdam *Papas* Immortalitatem animæ negasse. De *Johanne XXIII. Concilium Basileense Sess. XI.* sub finem sic loquitur: *Sape & sæpius coram diversis Prelatis & aliis honestis & probis viris, pertinaciter, Diabolò suadente, dixit, asseruit, dogmatizavit, vitam æternam non esse, nec aliam post hanc. Quin imò dixit & pertinaciter credit, animam hominis cum corpore extingui, & mori instar brutorum animalium. Paulus III. moriturus dixisse fertur, se experturum veritatem trium quæ-*



tionum, de quibus in totâ vitâ dubitârit. (α) an animæ sint Im-  
mortales? (β) an infernus sit? (γ) an Deus sit? sed cur talia Spiritus  
Sanctus capiti Ecclesiæ non revelavit?

§. XXIII. Nunc aggredimur illam quæstionem: *An immor-  
talitas animæ rationalis ex lumine naturæ Philosophicis rationibus  
possit probari apodicticè; quod negamus, non in sobriæ Philosophiæ  
dedecus, sed solius Scripturæ laudem, præcipuè moti hâc ratione,  
quod nihil, quod à solo solius Dei decreto pendet, à naturâ sic di-  
cta possit cognosci. Humana enim ratio, qualis post lapsum est,  
non cogit apodicticè ad statuendam ὄντων animæ post dissolu-  
tionem in corpore. Ex naturæ enim lumine non constat, eum, qui  
creavit has formas, creâsse easdem cum hâc conditione, ne un-  
quàm interire possent. Nam, quemadmodum ante creationem  
suam non extiterunt, ita nihil impedit, quò minus absolutè redi-  
re queant in nihilum, ut loquitur B. Hülsem. Brev. c. XVI. the. I. p. 260.  
Unde Lutherus in Comm. ad Eccl. 3. 19. ait: In mundo non videtur &  
intelligitur certò, animas esse immortales.*

§. XXIV. Distinguimus verò rationes tripliciter; quod aliæ  
sint Philosophicæ tantùm, quæ opinionem gignunt, aliæ, quæ cum  
fidei analogiâ consentiunt, & faciunt scientiam, quibus lumen natu-  
ræ obscurius perficitur ex lumine Scripturæ lucidissimâ. Deinde,  
quod aliæ sint præcedentes, ut loquitur Thom. p. 1. quæst. 32. art. 1.  
quæ probant radicem, & sequentes, quæ ostendunt tantùm, con-  
gruere aliquid radici positæ. Illæ ὑποδεικνύουσιν demonstrant; hæ ἑπι-  
δείκνυουσιν illustrant. Quod etiam aliæ sint cogentes, quæ hominis  
animum reddere possunt ἀμετάπτωτον, aliæ verisimiles, quandam  
tantùm verisimilitudinem persuadentes, & hominis moribundi  
conscientiam nunquam tranquillare valentes.

§. XXV. Ut adeò non obstet, quod Conimbricenses in Tr. de  
an. sep. Disp. 1. urgeant partim saniorum Philosophorum consensum,  
partim spiritualitatem, partim essentiæ simplicitatem &c. utpote  
quæ non cogunt & præcedunt, sed tantùm illustrant & sequuntur.  
vide Excell. Dn. L. Scherz. in Brev. Eustach q. 223. in Physicam. Quæ  
sententia etiam est Scoti, Cajetani, Julii Cæsaris Scaligeri ap. Scheibl.  
Metaph. 1. 2. quæst. 5. p. 442. Nec est, quod Georgius Calixtus  
Tr. de



Tr. de Imm. an. c. 3. disputet contra Scotum, docentem l. 4. Dist. 43. quest. 2. §. 2. probabiles saltem non demonstrativas, imò ne quidem necessarias esse rationes, quas Philosophi pro stabilien-  
 dà Immortalitate animæ afferunt, producendo exempla Saddu-  
 cæorum, Ἰησοῦ ψυχιστῶν & Photinianorum, qui recipientes Scri-  
 pturam nihilominus immortalitatem animæ negârunt. Saddu-  
 cæi enim resurrectionem mortuorum etiam negârunt, & tamen  
 approbârunt libros Propheticos, sufficientissimè Resurrectionem  
 ostendentes Hacksp. in Nizzachon. f. 228. seqq. Nimirum; non ex  
 scripturâ errârunt, sed in scripturam peccârunt, quia male intellexe-  
 runt.

§. XXVI. Et cur ita cespitârunt omnium ordinum Philo-  
 sophi apud Ethnicos? Propterea, qui hoc dogma vel per plagium  
 habuerunt ex Mosis & Prophetarum scriptis in Ecclesia sparsis, vel  
 à Patriarcharum traditionibus & rumoribus, & deinde nullam  
 rationem apodicticam in Philosophiâ suâ invenire potuerunt,  
 quæ hoc corroborare visa fuerit, ut testatur Justinus Martyr in A-  
 pol. pro Christ. ad Anton. Notum est, quàm dubitabundus fuerit  
 Cicero l. 1. Tusc. Quest. ubi Atticus introducitur ita loquens: Dele-  
 ctat me illa sententia, posse animos, cum è corporibus excesserint  
 in cœlum quasi domicilium suum pervenire, idq; primùm ita esse,  
 deinde, etiamsi non sit, mihi persuaderi velim. Respondet Mar-  
 cus: Quid tibi ergò operâ usus est? Num eloquentia Platonem  
 superare possumus? Evolve diligenter ejus librum, qui est de ani-  
 mō, amplius, quod desideres, nihil erit. Subjicit Atticus: Feci me  
 hercle, & quidem sæpius, sed nescio, quomodo, cum lego, assen-  
 tior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animo-  
 rum cæpi cogitare, assensio omnis illa elabitur.

Handwritten notes in the right margin:  
 Hic est...  
 in Val. A. 1. 1. 1.  
 in...  
 ex...  
 nec...  
 etc.

§. XXVII. Suppositō igitur, rationes Philosophicas pro im-  
 mortalitate animæ nemini posse tranquillare animum, solam am-  
 plectimur Scripturam, quæ in hâc re solummodò potest certifica-  
 re fideles. Agmen ducit Moses, quando in historia creationis, a-  
 nimæ, tanquam nobilissimæ partis hominis, ita facit mentionem,  
 ut eidem Gen. 11. 7. immeditatam Dei εἰσπνευσιν assignet per radi-  
 cem נַפְשׁ, quia nimirum, ut spiritus incorporeus, non ex aliquâ  
 materia

Handwritten notes in the right margin:  
 Hic est...  
 etc.





materia elementari, corruptioni obnoxia, factus, sed immediate  
a Deo ex nihilo productus; Propterea etiam anima vocatur  
נשמה חיה spiraculum vitarum. Prioris vocis originem  
quaerunt Philologi non in scite in נשמה, quia anima hominis,  
tanquam divinum quoddam e caelo profectum, divinae aurae sit  
particula; posterior est in duali non tam ad indigitandas omnes  
vitae species homini collatas, quam geminam, temporalem scili-  
cet & aeternam hominis vitam. Quid? quod per hanc immedia-  
tam animae inspirationem singularis animae creatio opponitur  
animabus brutorum Gen. I. 20.

§. XXIX. Succenturiatur Salomo Eccl. XII. 17. Pulvis seu  
corpus hominis, sc. post mortem, revertitur in terram, unde erat,  
& spiritus redit, tanquam res per se subsistens, accidens enim re-  
dire non potest ad Deum, severum judicem vel benignissimum  
patrem, qui dedit illum, ubi animae status post mortem statui cor-  
poris diametraliter opponitur, quod contra Socin. evincit, non vi-  
tam animalem, sed animam intellectualem esse intelligendam, quia  
haec, non illa corpori opponitur.

§. XXIX. Quod attinet N. T. habemus testem illum, qui ve-  
ritas ipsa, Christum, quando Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26. Luc.  
XX. 37. Deum Patrem suum caelestem vocat Deum Abrahami, Isaaci  
& Jacobi, etiam post mortem illorum, qui tamen Deus non est  
mortuorum, sed viventium Deus, de presenti intellectus, non de fu-  
turo, quia Deo vivere nunquam in Scripturis dicuntur, quia actu  
non vivunt, sed aliquando extituri sunt. Vivebant ergo tunc hi  
Patriarchae non ratione corporum, sed respectu animarum, vita enim  
praesupponit existentiam, affectio substantiam, cujus est affectio.

§. XXX. Nec salvat Photinianos excipientes, agi de resur-  
rectione corporum; A positione enim (a.) resurrectionis corporum  
melius valere consequentiam ad probationem quam ad negationem  
immortalitatis animarum, quis non videt? (b.) A tempore presenti  
vita Patriarchalis ad futurum N. V. C. quia Christus Luc. XXII. 38.  
non sine notabili ratione addit: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι. Deinde Patri-  
archae, non animae illorum dicuntur vivere per Synecdochen partis pro  
toto, ut Christus latroni post mortem promittit Paradisum, non ra-  
tione corporis, sed animae.

§. XXXI.



6

§. XXXI. Nec hoc loco tantum ostendit Christus animæ immortalitatem, sed etiam alibi, Matth. X. 18. ubi contra Tyrannos ἀνθρώπων κτείνεσθαι solatium affert, quod animam occidere non possint. Occisionis verò negatio quid aliud est quam ἀθανάσιος καὶ ἀνώλεστος affirmatio? Quando verò Deus animam ἀπολέσθαι seu perdere dicitur in gehenna, de morte secundâ intelligitur, quæ non fit annihilando, sed æternis & infernalibus pænis trucidando contra Smalc. p. 413. adversus Franz. Idem innuit apud Luc. XXIII. 43. ubi in cruce pendulus, & jamjam animam ex halaturus ad latronem vicinum inquit: Amen, dico tibi, hodie eris mecum in paradiso. Ubi urgemus adverbium temporis hodie, quod non tantum non, per novam & omnino codicibus incognitam interpunctionem, ad verbum dixit, sed esse in paradiso refertur, quia talis loquendi modus nullibi in Scripturâ invenitur; sed etiam indignatur illud ipsum tempus rei promissæ non promissionis, quò petiti sui compos redditus est latro, & uterq; mortuus. Christus scilicet & latro; non secundum corpus, quod haud dubiè fuit sepultum, E. secundum animam. Magnif. Dn. D. Calov. Photin. profl. p. 1029. quamvis hanc explicationem Smalc. pro deridiculis habeat & conjecturis cont. Frantz. p. 410.

§. XXXII. Hæc apud Evangelistas; quibus calcula apponunt Apostoli. Paulus Phil. I. 23. desiderat dissolvi, & esse cum Christo, non totius compositi scilicet ratione, sed animæ, quia post dissolutionem totus cum Christo esse non poterat, cont. Smalc. p. 411. advers. Franz. Et propterea non intelligit Apostolus spem recuperandæ animæ in die pantocritico, quippe qui dissolutionem corporis & animæ apud Paulum non secutus est, esse verò cum Christo & dissolvi immediatè in textu coherere. Quid? quod aliàs magis cum Christo fuisset Paulus ante dissolutionem, quia tunc habitabat Christus in ipso per fidem Eph. III. 17. & vivebat in ipso Gal. III. 19. quam post eandem. Confer. Magnif. Dn. Pras. l. c. §. 27. 28.

§. XXXIII. Petrus I. Ep. c. III. 19. quando affirmat, quod Christus predicaverit istis, qui in carcere erant, spiritibus, qui olim fuerant increduli, Spiritus simplicissimè accipit pro damnatorum animabus, corporibus exutorum, qui vocantur ἀνεψυχæ, quò nomine



nomine hæc vox sæpè in N. Test. Matth. XXVII. 50. Luc. XXIII. 37. Ebr. XVII. 23. usurpatur; & quidem in specie eorum (non exclusis aliis damnatis) qui tempore Noachi in finali ἀπιστία decesserunt, secus ac putat Smalc. contr. Franz. p. 205. qui πνεύματα de gente Judaicâ, quæ ipsum cruci affixerat, & verba: temporibus Noæ, ellipticè per sicut in temporibus Noæ exponit; & Socinus, qui in *explicatione quorundam locorum Scripturæ* p. 113. existimat, vocationem gentium per prædicationem Apostolicam à Petrô hic describi synecdochicè,

§. XXXIV. Taceo descriptiones mortis varias, & statum animarum post dissolutionem à corpore, quæ ita à Spiritu S. concinnata sunt, ut non tantum animæ separatæ existentiam inferant infallibilem; sed eam etiam immortalem & æternam à parte concludant necessariò. Miramur itaq; , hodiernorum Photinianorum, veterum *ὄντοψυχιστῶν* monstrum satis perfrictâ fronte ex orcò revocantium, cæcitatem tam cæcam esse posse, ut lumen cæleste non videat. Sed age! videbimus ipsorum Antithesin.

§. XXXV. Fundare nituntur ψυχοφασαρία suam Epicuræi, quibus ex parte succenturiatur hæresis Sociniana, partim *Scripturâ*, partim *Ratione*. *ἡ ζωὴ αἰών*, quibus hoc pestilentissimum venenum tanquam cerusâ obliniunt *ex Scriptura*, principem desumunt ex Eccl. III. 19. 20. 21. quem adeò plausibili exornare sciunt vestimento, ut magna ingenia satis laboriosè skeleton latens detegerint. Sapientis verba hæc sunt: *Eventus filiorum hominum & eventus jumentorum unus est, sicut moritur istud, sic moritur & ille, & spiritus unus omnibus; præstantia homini præ animali nulla, quia omnia vanitas, omnia pergunt ad locum unum, omnia fuerunt ex pulvere, & omnia revertuntur in pulverem. Quis scit, an spiritus filiorum hominum ascendat sursum, & spiritus jumenti descendat subter terram?*

§. XXXVI. Resp. (α.) A locutione *μικτήρη* & relativa ad locutionem approbativam N. V. C. Imitatur Rex sermonem Epicureorum, & loquitur ex sensu securorum Atheorum & Bacchanalia viventium, ut placuit Gregor. l. IV. Dial. c. 4. Fundatur hæc responsio *vers. præc. 16. & 18.* quod vellet loqui *על-הברר בני האדם* (β.) *Amoriendi necessitate & statu parili hominum cum brutis in mor-*

te ad



13  
re ad statum parilem post mortem N. V. C. (γ) Ab equalitate hominum cum brutis, quæ resultat ex naturali & experimentalis notitia, ad inæqualitatem, quam ex revelatione per spiritualem notitiam cognoscimus N. V. C. Respectu enim eventuum in oculos incurrentium homo à bestia non videtur differre. Fundatur v. 18. **וְהָיָה כְּבֵשׂוֹת**  
Quæ responsio ferè coincidit cum B. Luth. in comm. super b. l. apud B. Hülsem. Brev. p. 260. qui distingvit inter res, quæ sub sole sunt, & in mundo, & inter res, quæ extra solem sunt. Priores tantum describit Salomo, quod multoties inculcat in hōc libello, & probat tantum, animæ immortalitatem non posse probari ex natura, quia res est extra solem, & merum supernaturale, Salomo verò loquitur de rebus sub sole, quod scilicet naturaliter non possit probari animæ immortalitas.

§. XXXVII. Nec sustinet τὸ ἀνεβῆς, quod ex ratione opponunt, utpote ab externis sensibus ad internam animæ indolem & naturam concludentes ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. Præcipuè urgent, quod anima educatur è potentiâ materia, & per generationem propagetur. Quicquid igitur habet ortum, dicunt, illud & finem accipit. R. (α) Falsum est: quicquid habet ortum, illud & finem accipit. Subsumtio de angelis non procedit (β) A propagatione anima ad ejus corruptionem. N. V. C. Animæ natura non est æstimanda ex propagatione, sed ex propriâ ejus essentiâ, qualem eam Deus in creatione esse voluit. (γ) Ab educatione è potentiâ materia, quæ creationem animæ immediatam à Deo negat, ad mortalitatem animæ N. V. C. Fundatur hæc responsio in eo, quod immortalitas animæ in solidum & unicè à Dei ordinatione & voluntate dependeat.

§. XXXIIX. Nec aliter in umbras evanescit Glaucoma Politico-Machiavellicum: Propterea immortalitas anima docetur, quia est è re humane vite, credi esse animam immortalem, quæ pro operum in terra conditione accipiat præmium, alioquin enim homines non retinere possint in officio. R. Dogma Diabolicum, dicere: opus est mendaciô ad persuadendam virtutem, cum tamen virtus & veritas indissolubili concordia sint connexa. Dogma Diabolicum, quod everisionem omnis honestatis & pietatis introducit.

C

cit.





cit. *Dogma Diabolicum*, quod non tantum providentiam & iustitiam, sed Deum ipsum, omnemque religionem, quæ prorsus sunt inseparabilia, tollit. *Dogma Diabolicum*, quod omnia in Scripturis Θεοπνεύτως revelata aperta mendacia credit. Reliqua, quæ ex Scriptura & ratione proferunt, spatium pagellæ capere non potest.

### CAPUT III.

De

## Primi Hominis Immortalitate.

#### §. XXXIX.

Agendum nobis erit in hoc capite partim cum *Pelagianis* & *Socinianis*, quorum doctrina circa immortalitatem Protoplastorum hæc est: Illos & fuisse mortales actu primo, & morituros etiam actu secundo: partim cum *Papistis* & *Calixtinis*, qui statuunt, hominem primum fuisse quidem mortalem actu primo, sed peculiari beneficio DEI & usu arboris vitæ ab activitate qualitatium & dispositionum ad mortem fuisse actu secundo immunes.

§. XL. *Explico Terminos: Primus homo; Immortalitas.* Habuit verò se primus homo aliter, quando consideratur quoad humanam naturam, seorsim sumptam, aliter, quando totum suppositum notat, totum hominem, totamque hominis, animam simul & corpus conjunctim attingens. Attendimus hic posteriorem acceptionem, non priorem, cum Adamus, è massâ terrenâ, per vim creatoris πλαστικὴν, productus, spiraculo vitæ tamen destitutus, neque homo; nisi improprie, neque status integri felicitate fruens nominari possit.

§. XLI. Hoc totum suppositum iterum non est uniusmodi, cum duplicem involvat respectum. Vel enim (α) sumitur absolute, quoad entitatem substantialem, quatenus habet sua constitutiva principia, & partes essentielles, corpus & animam; vel (β) respec-

*tive*



47  
divè & modificate, ratione certi alicujus status. Inveniuntur enim in rebus creatis præter entitates substantiales & radicales, modi quidam reales, ipsas entitates per se afficientes, & aliquid, quod est extra essentiam totam, ut individuum & existentem in rerum natura, dantes, benè notavit Suarez. *Disp. Metaph. VII. scil. 1. n. 17.* Hic posteriori modo hominem primum acceptum volumus, quatenus scilicet rectus & in statu Innocentia constitutus; ut adeoque simul debeat sumi cum omnibus, quæ ipsi fuerunt concreata. Præmissis his, formamus *Statum controversie* contra primum adversariorum ordinem, & dicimus: *Totum suppositum hominis primi, in statu integritatis constituti, fuit Immortale creatum.* Hoc negant Pelagiani & Photiniani.

§. XLII. De Pelagianis testatur Augustinus Tom. VI. de Hæres. Hæres. 88. lit. D. quod docuerint, hominem fuisse moriturum, etiam si non peccasset, & quidem non merito culpæ & poenæ, sed conditione naturæ & necessitate. Interpolatur hoc dogma à Photinianis, tanquam non postrema pars ipsorum *ἀντιπαρ*, ut satisfactionem Christi pro peccatis nostris præstitam, tanto facilius oppugnare queant. Siquidem hyperaspiles Socinus ipse ex professo contra Puccium adstruere nititur l. de Stat. pr. hom. mortalitatem primi hominis naturalem, quod explicat Autor. *Catech. Racc. p. 21.* negans, Adamum esse in immortalitate conditum, ita, ut ne quidem sciri potuisset ab Adamo via Immortalitatis.

§. XLIII. Cum his primò res erit. Antequàm verò ad vindicationem descendamus, *falsam quandam hypothesin*, quàm tanquam argumento *ἀνεργον* suum errorem fundare laborant, profligabimus, scilicet, mortem inevitabilem esse non merito culpæ & ex accidente, sed conditione naturæ. Fons erroris est Manichæismus, Marcionismus, Gentilismus, Sic Stoici: Mors homini natura, non poena. Sumit itaque hæreticus ab Ethnicis errorem, *ἀπὸ τοῦ παρὰ τὸν ἐξ ἑαυτοῦ ἀδρανῶν*, à vipera venenum.

§. XLIV. Primus directè & apertè mortem homini naturalem, & ex vitio materiæ, necessariò per se adhaerentem statuit Pelagius, Deum scil. mortem homini præmississe nascituro, eamq; non ex insidiis veteri fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilia



bilis constituti, ut loquuntur Honorius & Theodosius Imp. in Rescripto Anno 418. Nec secus sentiunt Photiniani ap. Socin. de st. pr. qui cum inficiari non possint, mortem primum illud peccatum consecutam esse, id tamen cum Pelagianis sic accipiunt, ut peccatum primum tantum occasio fuerit mortis & antecedens aliquod, non autem causa meritoria, quodq; adeo saltem occasione lapsus Adamici mors invaserit omnes homines, non merito culpæ ejus; quam deniq; ipsi non agnoscunt poenam, sed effectum transgressionis Adami; sed conditionis naturalis consequens ap. Magnif. Dn. D. Calov, Socin. Profl. p. 251.

§. XLV. Pontificios quoad hoc hæreticum fundamentum *πελαγιαζεν*, colligi potest ex Bellar. de Gr. pr. hom. c. 8. dicente, ex ipsis natura principis mortalitatem homini naturalem esse, quia, cum hominis natura ex contrariis elementis & humoribus constet, intrinsecam potentiam habeat ad corruptionem. Et quamvis Pererius lib. VI. in Gen. c. III. v. 17. 18. 19. dicat, mortem homini accidisse, damnetq; in Josepho, Eugubino & Pelagianis affirmativam sententiam, mortem esse naturalem homini, non ortam ex peccato, provocans ad autoritatem Concil. Trid. sess. V. de pecc. orig. necessitatem moriendi tamen tantum negare videtur, in quo Pontificii à Pelagianis discrepant, quia l. v. de Stat. Innoc. quæst. I. expressè dicit, Adamum secundum naturam suam mortalem fuisse & patibilem.

§. XLVI. Militat verò hæc hypothesis hæretica non tantum contra ipsissima Spiritus S. verba, sed etiam contra rectam rationem & puriorem antiquitatem. Instar omnium erit Apostolus gentium, qui Spiritu S. *Περί μὲν* Rom. V, 12. mortem *ἡγὸς τῆς ἀμαρτίας* in mundum intrasse dicit, & c. VI, 23. peccati *ὁψώνια* nominat; ubi præpositio *ἡγὸς* cum Genit. ex usu Lingvæ & Scripturæ non occasionem tantum & nudum antecedens, ut Socinus contendit, sed potius causam importat apud Magnif. Dn. D. Calov. l. c. & vox *ὁψώνια* in plurimè sonat ἐμψώνια τῆς ἁμαρτίας, apud B. Meisn. Confid. Theol. Photin. p. 649. unde firmissimâ συλλογιστίᾳ concludimus: Quicquid per peccatum tanquam causam in mundum intravit, & est merces culpæ, illud ante peccatum in mundo non fuit, nec homini per naturam  
ex crea-



19  
ex creatione convenit. Atque mors &c. Major radiat partim  
ex regulâ Philosophicâ: Omnis causa est prior effectu, & effectus  
posterior suâ causâ; partim ex eô, quod malum pœnæ non sit in  
natura rationali ante malum culpæ, ut rectè loquitur *Esthicus ad*  
*Dist. 19. S. 14.*

§. XLVII. *Excipiunt Photiniani I.* Apostolum loqui de morte  
æternâ, nec inde probari, corporalem mortem esse pœnam R. (a) *Spiritus S. expressè Ps. XC. V. mortem temporariam adscribit homi-*  
*num peccatis. (b) Rom. V. 12. habetur locutio indefinita, quæ, nullo*  
*aliô in textu limitationis signô occurrente, habetur pro universa-*  
*li. E. non de solâ agitur morte æternâ. Rom. VI. 23. Apostoli sco-*  
*pus est probare universalitatem peccati, quod facit per universali-*  
*tatem mortis; hoc verò non procederet, si mortem æternam intel-*  
*ligeret, quoniam fideles mortem æternam non lubeunt, quamvis*  
*corporali mortî propter peccatum fiant obnoxii. II. Catech. Racc.*  
*distingvit inter mortalitatem & mortem, ut aliquis mortalis sit, nec*  
*tamen unquàm moriatur, ut Enoch & Elias Resp. (a) Cur homo, pec-*  
*catô perpetrato, non statim mortuus est? Nimirum; non tantùm actus*  
*mortis secundus, sed etiam primus per peccatum est introductus, ut-*  
*pote qui arctissimô conjuncti sunt vinculo (b) Ab eô, quod sit extraor-*  
*dinariè ad ordinarium naturæ cursum N. V. C. Speciali Deo dispen-*  
*satione factum est, quod Enoch & Elias mortales non sint mortui.*  
*Bald. in Refut. Catech. Racc. p. 42.*

§. XLVIII. *Consentit recta ratio.* Mors enim est dissolutio  
animæ & corporis. Hæc dissolutio fit aut naturaliter, aut non.  
Si illud, anima corpori non appetit uniri naturaliter, quia unio &  
dissolutio animæ & corporis, utpote duo contradictoria, animæ  
& corpori eodem modô competere non possunt. Quod verò u-  
nio illa naturalis sit, nemo negat, quia animæ natura hæc est, ut  
sit ἐντελέχεια corporis organici. Si ergò unio illa naturalis est  
animæ atque corporis, dissolutio profectò naturalis non erit, ac pro-  
inde in statu merè-naturali locum non habebit.

§. XLIX. *Refutavit hanc falliam & erroneam hypothesin,*  
*etiam purior Antiquitas Tertull. de ani. c. 52. Nos, inquit, qui pri-*  
*mordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex*



naturâ secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsâ quidem naturali.  
Patres Concil. Carthag. Can. CX. Si quis dixerit, Adamum proto-  
plastum ita factum mortalem, ut sive peccasset, sive non, esset in cor-  
pore moriturus, i. e. ex corpore excessurus, μη τῆ ἀζία τῆς ἀμαρτι-  
ας, ἀλλὰ τῆ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως, anathema sit. Confer Concil.  
Milevit.

§. L. Fundamentô hâc dirutô, totum collabescit ædifici-  
um suâ sponte, quod Photiniani superstruere conabantur, scilicet,  
primum hominem actu secundo fuisse mortalem, nisi specialia &  
extraordinaria Dei gratia à morte liberârit. Argumentamur: Quic-  
quid non est ex conditione naturæ, sed vitio peccati, illud in statu  
Integritatis locum non habuit; Mortalem esse actu secundo non  
est conditio naturæ, sed vitium peccati. Ergo &c. Major est  
clara ex eo, quod Innocentia peccatum ignoravit. Distingue  
propterea Catholica Ecclesia apud Ursin. *Quest. Bibl. l. V. c. 18. sect.*  
*1. potentiam aliquam corruptionis in corpore humano à mortalitate*  
*totius compositi; illam aliquam non negat remotè adhasisse, ut in-*  
*ferius contra Pontificios disputabimus, hanc negat ullô modô esse*  
*potuisse. Hâc de causa mortem etiam non per corporis tabem,*  
*definiunt, sed per ἀνάλυσιν & ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σώματος, Conc. Car-*  
*thag. Hinc damnavit utrumque caput erroris Pelagiani (α) ho-*  
*minem naturâ fuisse mortalem conditum in potentia propinquâ*  
*moriendi, (β) actu ipsô moriturum, fuisse quoque non ex pecca-*  
*ti merito, sed necessitate naturæ, quamvis non peccasset.*

§. LI. Cùm enim ad imaginem DEI in Protoplastis pertinue-  
rit Immortalitas, Deus enim est immortalis, cujus imago suum de-  
bet repræsentare exemplar; & incorruptibile, Basilius hom. X. in Hex-  
æm. non figuratur in corruptibili, & corruptibile non est imago eius,  
quod est incorruptibile; quis Immortalitatem primo homini dero-  
gare poterit, nisi planè etiam imaginem Dei detrahens? Hæc et-  
iam est causa, quod non immeritò Irenæus l. V. c. 6. carnem etiam  
plasmata doceat secundum imaginem DEI.

§. LII. Nec obstas I. Racevonsium ἀνλιπτόντων κρησφύ-  
ρα τῶν p. 22. hominem etiam post lapsum vocari creatum ad imagi-  
nem Dei Gen. IX, 6. & immortalitate tamen destitui, Resp. (α) ἀρ-  
deribus



27

deribus imaginis divina post lapsum reliqua, quæ l. c. imago vocatur, ad totum edificium ante lapsum N. V. C. (γ) A Dei institutione & beneficio ad hominis destitutionem & maleficium N. V. C. Loquitur Deus priori modo, quod homo ab initio fuerit conditus ad imaginem Dei, quod verum est adhuc, licet jam suam culpam non ad Dei, sed ad suas imagines misellos gignat homines. *Nee II. Socin. prælect. c. 3.* Imaginem Dei non ad omnia, quæ sunt in Deo, referendam esse R. verum est; homo multorum, quæ in Deo sunt, non est capax, immortalitatis tamen est capax, quia vinculo arctissimo coheret cum sanctitate & iustitia, quæ in primo homine præclara erat & valde conspicua.

§. LIII. Et quamvis expressis verbis non legatur *facta vite pollicitatio* Proteplastis, si legem servaverint, quod urgent Sociniani, colligitur tamen à contrario excommunicatione, Genes. II, 17. *Quocumque die comederis מן תמות מותe morieris.* Argumentatur: Poena peccati non est ante peccatum; Mors est poena peccati Er. Non fuit ante peccatum, in statu Innocentiæ; sed ejus oppositum vita. Quid? quod *Gregorius Nyssenus lib. de creat. hom. c. II.* dicit: Si Deus hominem à principio mortalem fecisset, nequaquam peccantem condemnasset morte. Nam mortalem mortalitate nullatenus damnat. Vide syllogismum subtilem ex h. l. ap. *Danbau. Hodof. Phæn. V. p. 295.* defensum contra *Crellii* instantiam.

§. LIV. Excipiunt Photiniani & Pelagiani cum *Augustino Eugubino, Encherio, Gregorio M. ap. Coqueum in Not. ad Aug. c. XIII. l. 18. de C. D. & Walib. Spong. Mosa: p. 243.* communicationem illam non ad mortem corporis, sed animæ esse referendam. R. cum *August. l. XIII. de C. D. 12.* Hæc communicatio non tantum primæ mortis priorem, ubi anima privatur à Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsam totam primam, ubi anima & à DEO & à corpore separata punitur, sed quicquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quæ est nulla posterior complexa est. Quam sententiam *Walib. l. c.* quatuor rationibus probat, ex quibus præcipue accommodamus geminationem verbi מות, & explicationem ipsius Dei Gen. III. 9. per reversionem in terram & pulverem.

§. LV.

*Walib. l. c.*  
*Sup. l.*  
*+ 2. 24*



§. LV. *Dicitur: Cur non statim mortuus est post mandati transgressionem? R. Augustinus l. XIII. c. 23. de C.D. Non ideo debet absurdum videri, quia non eam prorsus die a corpore sunt soluti, quæ cibum interdictum mortiferumque sumserunt. Eo quippe die mutata in deterius vitiatamque naturam, atque a ligno vitæ separatisimam, mortis etiam corporalis necessitas facta est, cum quæ nos necessitate nati sumus. Vel, ut Irenæus putat ap. Magnif. Dn. D. Calov. Syst. Theol. de st. pr. hom. p. 711. Mortui sunt protoplasti sive (1) secundum inobedientiam (quæ est mors corporalis animæ) sive (2) quod exinde facti sint debitores mortis. Vide: Walsh. l. c.*

§. LVI. *Ὁμοψυχος est Moysi Sapiens c. II, 23. Creavit Deus hominem ἐν ἀφθαρσία, alii legunt ἐπὶ ἀφθαρσία (interminabilem, ut Vulgatus vertit, vel, ut Budæus: creavit ad naturam non interituram, non tantum quoad animam, verum etiam quoad corpus, ut rectè Lorinus, qui addit, ex hoc loco Glycam ex professo probare, hominem ab initio corpus caducum non habuisse, ap. Ursin. Quest. Bibl. l. V. c. 18. sect. 3 (Invidia autem Diaboli mors intravit in mundum. Ubi mors refertur ad Diabolum, & mortalitas homini expressè denegatur in Innocentia, plus enim est ἀφθαρσία, quàm ἐν ἀφθαρσία, quia excludit non solum mortem, sed etiam omnem mortalitatem, adeoque omnem φθαρτικὴν κακότητα, dicente Gerb. Loc. de Morte §. 140.*

§. LVII. *Excipit Catech. Rac. p. 20. I. Esse librum Apocryphum, quare firmum argumentum ex eò peti non posse. Resp. Possunt peti in iis materiis, quæ in libris canonicis habent fundamentum & consensum. II. Distinguit inter ἀφθαρσίαν s. incorruptibilitatem, & immortalitatem. Illud non solum de natura humana, sed etiam de fortuna & conditione felici usque ad vitæ terminum explicat, hoc tantum ad naturam restringens. R. (α) Socinus ipse de St. pr. hom. C. 9. Nihil aliud est mori, quàm corrumpi, & in aliam fortunam verti; & rursus corrumpi nihil est aliud quàm mori, i. e. esse desinere, (β) Sap. VI, 19. dicitur, ἀφθαρσία facit appropinquare Deo. Et. Felicitas temporalis facit appropinquare Deo? Contradicit David, Ps. XXXVII, 35. III. Distinguit inter conditum esse ad immortalitatem, & conditum esse immortalem, illud concedit Protoplastis,*



plastis, non hoc. Explicat: Conditus est ad immortalitatem. i. e. ad vitam æternam, quæ in altero demum seculo sequetur. Resp. Ad immortalitatem esse conditum non significat tantum ad vitam æternam esse conditum, sed etiam ita, ut anima à corpore non possit separari, quod idem est, ac immortalem esse, quia mors naturalis in separatione corporis & animæ consistit. Vid. Bald. in Refut. Catech. Rac. p. 38. seq. Walch. Spong. Mos. p. 252.

§ LIX. Accedit, quod nulla mortalitatis naturalis causa formaliter extiterit, materialiter enim extitisse, quod Socius objicit, ad mortalitatem naturalem non sufficit. Non materia remota, erat enim terra non maledicta, adeoq; nec corruptioni obnoxia, quæ non statim corruptibilitatem infert in materiato propter actum formalem. Non materia propinqua; quia nulla in homine primo erat *δυσρροια*, sed temperamentum & donum sanitatis optimum; quia perfectissima in homine erat vitium harmonia; quia corpus Christi ante & post resurrectionem non fuit mortale, eandem materiam propinquam cum Protoplastis agnoscens, ut adeo non valeat Socini exceptio, materiam in homine fuisse corruptibilem, ex qua mors provenerit. Non locus, quia extrinsecum & accidentale non mutare potest constitutionem internam & essentialem; quia non potest ostendi, quicquam destructivum & corruptivum loco & habitaculo Protoplastorum inditum fuisse. Contrarium potius probatur. Vid. Broehm. Syst. Theol. de pr. hom. c. 7. quest. 7.

§ LIX. Haec tenus circa terminum priorem, primum hominem, disputatum est contra Photinianos & Pelagianos; progredimur ad posteriorem; Immortalitatem. Hæc superius Innocentia vocata, non fuit absoluta per omnis possibilitatis moriendi exclusionem. Walch. Spong. Mos. p. 236. sed conditionata, quæ ad sui conservationem opus habuit certis mediis & conditionibus, nimirum (α.) cibo & potu Gen. II. 16. (β.) Ligno vitæ (γ.) obedientiâ, ut abstineret ab arbore scientiæ boni & mali. Non enim eò modò, quò angelos condiderat Deus, ita condidit & homines; ut etiam si peccassent, mori non possent omnino, sed ita, ut perfunctos obedientiæ munere sine interventu mortis, angelica immortalitas & beata æternitas sequeretur, ut loquitur August. de C. D. lib. XIII. c. 1.

D

§ LX.





§. LX. Trahunt hinc contentionis funem Dd. & scriptores Pontificii retrahuntq; in quò formaliter sita fuerit *Protoplastorum Immortalitas*. Conveniunt quidem in hoc omnes contra Photinianos & Pelagianos, quod statuunt, hominem non moriturum fuisse, si in statu Integritatis permansisset, differunt tamen in causa. Quidam suspendunt ab imagine divina cum Athanasio; quidam ab arbore vitæ cum Augustino; quidam ab influxu animæ cum Thomâ; quidam à divinâ præventionem & translationem in vitam cælestem cum Scoto.

§. LXI. *Jacobus Bonfrerius* ad Gen. III. 19. dicit, hominem suâ præ naturâ fuisse mortalem, divinò verò munere & beneficio immortalē, & tandem concludit. primos homines ab intrinseco fuisse immortales, immortalitatem habuisse à principiis & adjuventis extrinsecis, imprimis NB. ab arbore vitæ.

§. LXII. Mitius videtur loqui *Magister l. II. sent. Dist. 19.* dicens, primum hominem secundum naturam corporis terreni immortalē fuisse secundum aliquid, quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. Sed explicat in progressu, dicens: Quia alterum habebat à natura corporis, i. e. posse mori; alterum verò scilicet posse non mori, erat illi ex ligno vitæ, s. ex ligno gratiæ; ad quam sententiam Augustinum trahere conatur, & ita apertum esse putat, quod non naturâ, sed ex ligno vitæ habuerit, posse non mori. Quæ opinio eadem est cum Bonfrerii. Quæstione sequenti fluctuat; quid statuere debeat de illâ controversiâ; An potuisset non mori, si non fuisset præceptum, ut de ligno vitæ comederet, & aliis, non illò uteretur?

§. LXIII. *Bonaventura* ad hunc locum Magistri immortalē appellat primum hominem prout privat actum solum, non quoad privat actum & aptitudinem simul moriendi. Ad illam verò Immortalitatem, prout privat actum tantum, hominem à naturâ habuisse aptitudinem propter corpus valdè benè complexionatum; à gratiæ v. completionem. Breviter: Omnes Papistici Scriptores eò collimant ultimatè (a) Immortalitatem Innocentiæ complexam fuisse tantum privationem actus moriendi, non autem privationem potentie moriendi. (b.) Profluxisse illam à principio extrinseco non intrinseco.



25  
*trinfeco. (γ.) Non fuisse naturalem, sed supernaturalem cum Becon.  
Tom. I. operum f. 137.*

§. LXIV. *Primam conclusionem defendit Bonaventura l. c.*  
Nota autem, quod immortalitas, quatenus privat aptitudinem & potentiam, seu τὸ posse non mori dupliciter intelligatur; vel *quoad potentiam proximam, vel quoad remotam.* Si Bonaventura illam immortalitatem intelligit, quæ privat aptitudinem & potentiam remotam, facile concedere possumus, quod non inventa fuerit in Protoplastis, quippe quæ Beatis in alterâ vitâ erit propria; si verò illam, quæ privat etiam potentiam proximam, negamus; quia tantum *non-repugnantia* ad mortem in Protoplastis fuit. Est itaq; *Immortalitas*, quatenus privat potentiam remotam, idem ac *Impotentia moriendi Physica*, quatenus verò privat potentiam proximam, idem ac *Impotentia moriendi Metaphysica.* Hanc Protoplastis tribuimus, illam negamus.

§. LXV. Potuit ergò primus homo mori *ex casu casus remotè, conditionatè, eventualiter per potentiam non Physicam, sed Metaphysicam, quæ est non-repugnantia,* ut loquitur Danhau. Hodof. *Phæn. V. p. 284.* quando, ut explicat B. Gerhardus *Disp. Isag. XXII. S. 11.* vocabulum mortalis sumitur *ἀνώτερος* pro qualicunq; *δυναμει* & potentia etiam remotissimâ (α.) quoad potentiam Dei absolutam, (β.) quoad potentiam moriendi, pendentem à libero hominis arbitrio (γ.) quoad talem potentiam, quæ per naturam nunquam traducta fuisset in actum. *Ex casu casus potuit mori nunquam,* si vocabulum mortalis sumitur *νωτέρος* (α.) quoad Potentiam Dei conditionatam (β.) quoad potentiam non moriendi, in quâ erat conditus (γ.) quoad potentiam naturalem, quæ traducta fuisset in actum.

§. LXVI. Falsum igitur est, hominis primigenii corpus naturaliter corrumpi potuisse quoad potentiam proximam corruptibilitatis. *Non enim caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit carnem corruptibilem,* ait August. l. XIV. de C. D. c. 3. Ergò, ut Chamier. Tom. III. l. 1. c. 7. n. 6. quod dicitur, corpus habere à suis principiis, & compositione, ut sit mortale & corruptibile; distinguo: *per potentiam proximam aut remotam.*

D 2

Nam



*Nam per remotam conceditur:* Sic enim ornatus est homo à Deo, ut compages illa: animæ & corporis dissolvi posset aliquando. *At per propinquam negatur:* Sic enim hominem Deus ex suis principiis composuerat, ut nihil in eò esset, quod vergeret ad interitum antè peccatum, ap. Ursin. *Quest. Bibl. l. V. cap. 18. sect. 7.* Nam esto, inquit B. Affelmannus de lapsu pr. hom. *quest. 8. ap. Dn. D. Müllerum Semicent. 2. Quest. Illust. q. 42.* mortalitatem homini fuisse naturalem antelapsam, non tamen formaliter & actu, sed potestate eaq; remotà, quia illa mortalitas erat absq; morte & absq; mortis necessitate.

§. LXVII. *Fundatur hæc Impotentia Protoplastorum moriendi Metaphysica in pbrasi illa* אָדָם מֵעֶפְרוֹד Gen. II. 17. quæ habitum & potentiam significat ut probat *Glassius Phil. Sac. pag. 275. Argumentamur:* Quicumq; per peccatum habitu & potentia factus est mortalis, ille ante peccatum habitu & potentia fuit immortalis. Atqui primus homo &c. Nam si mortalitas dependisset à compositione & pulvere in statu integritatis, optimè Diabolus Evam potuisset refellere, dicentem; si comedere moriar, hõc modo: Etsi non comessura es, nihilominus morieris, quia sive comedas, sive non, ex pulvere composita es. Er. in pulverem resolubilis citra comestionem.

§. LXVIII. *Secundam conclusionem fovet Pererius l. V. in Gen. quest. 1. inquit:* *Hæc potentia non moriendi non provenibat intrinsecus ex natura Adami; & tamen non videtur velle negare Pererius in eadem quæstione intrinsecum principium immortalitatis, quia affirmat, Adamum & extrinsecas mortalitatis causas propulsasse NB. DEO custodiante & protegente.*

§. LXIX. Verùm enim verò, fuit quidem hæc Immortalitas non à natura, neq; pertinuit ad essentiam hominis, Physicè considerati; sed in natura; interea tamen non potest negari, aliquid fuisse in homine, quod rectè hujus immortalitatis causa interna dici possit, nempe *concreata illa & connaturalis harmonia elementorum perpetua futura per usum arboris vite. Rivet. Exerc. 19. in Gen.* Si de toto hominis agitur, nihil obstat, quin dicamus, ab ipsis naturæ principiis Immortalitatem profuxisse; idq; propter influ-  
xum



xum animæ, perpetuam humorum & spirituum *æquoriam* conser-  
vaturum. Breviter: *Habituale illud immortalitatis donum erat pri-  
mo homini intrinsicum, inbæstram connaturale, concreatum.*

§. LXX. Dependebat verò concreata & connaturalis illa E-  
lementorum harmonia, perpetuò conservanda s. ab æquabilissi-  
mo temperamento, s. ab humidi & calidi nativò & concreato vi-  
gore, à mediis divinitùs ordinatis, quorum applicatio hanc har-  
moniam in perpetuum conservasset. Quare *quoad media hæc im-  
mortalitas proveniebat ab extrinseco; sed quoad inexistentiam &  
causam proximam erat intrinseca, connaturalis, concreata.* Quid?  
quod corpus primi hominis ante lapsum essentialiter & indisso-  
lubili *vinculo anime*, ad immortalitatem conditæ, fuerit unitum,  
*Gerb. Disp. Isag. XXII. p. 7.* Habuit ergò primus homo *pro principiis  
immortalitatis intrinsicis* (1.) internam bonam qualitatem, (2.) tem-  
peramentum æquabilissimum (3.) Dispositionem viscerum exa-  
ctam (4.) unionem animæ immortalis cum immortali corpore, à  
causis naturalibus actu indissolubilem.

§. LXXI. *Tertiam conclusionem, scilicet immortalitatem  
primi hominis non fuisse naturale donum, seu proprietatem na-  
turalem, sed supernaturale quid & extrinsecum defendunt Pontificii  
omnes* tanquam aras & focos, ut naturalium post lapsum integri-  
tatem statuendi planior pateat via. Audiatur Promachus ipse  
*Bellarminus, qui lib. de grat. pr. hom. c. 9. §. 1. ait: Immortalitas fuit  
supernaturale quoddam primi hominis donum, non autem naturalis  
quedam proprietas. Vide: Perer. l. V. in Gen. quest. 4. & Torniellus  
in Anal. fol. 32.*

§. LXXII. *Notetur I. locum hîc habere supra in prooëmio  
traditam distinctionem, quod aliquid possit immortale dici inde-  
pendenter, sic solus Deus est immortalis  $\Phi\sigma\delta$ , utpote qui est na-  
tura naturans, cætera omnia, quæ participant, sunt immortalia  
 $\chi\alpha\epsilon\pi\iota$  ex DEI dispositione, & hæc ratione negant Patres, homini  
ullò in statu immortalitatem naturalem, quamvis Bellarminus  
ebs in suas partes frustra trahere conetur.*

§. LXXIII. *Monendum II. ex B. Gerb. Disp. Isagog. XXII. c. 9.  
§. 4. vocabulum Naturalis quintupliciter, juxta alios vero sextu-  
pliciter*

D 3





*pliciter* posse intelligi (1.) *Constitutivè* pro eo, quod naturæ dat esse, principiis scilicet essentialibus, animâ & corpore. (2.) *causativè* pro eo, quod tanquam effectus à natura productum est (3.) *Consecutivè* pro eo, quod ex rei essentia formaliter fluit. (4.) *Subjectivè* pro eo, quod naturæ arctissimè est infixum. (5.) *Perfectivè* pro eo, quod naturam promovet & perfectiorem reddit. (6.) *Transitivè*, quod simul cum natura in alios propagatur. *Tribus prioribus modis* vocabulò naturalitatis intellectò, negamus quæstionem, quicquid calumniatur *Bellarminus*, qui priores tres modos nobis falsò attribuit *de gr. pr. hom. c. 1. de tribus verò posterioribus* affirmamus quæstionem, quod scilicet naturalis Immortalitas fuerit ob naturalem inhætionem, perfectionem, & propagationem.

§. LXXIV. Accedit, quod, uti supra monitum, *homo primus* hòc loco consideretur *non ratione essentie sue; sed ratione status & inconcreto*, ut integer est creatus; sic naturale dicitur nò, quod essentiam hominis, ut homo est, per se comitatur, sed quod concreatum illi est, & eum, ut talis vel talis est, h. e. integrum constituit, ut loquitur *B. Carpzov. Syst. Theol. part. 1 p. 279. §. 8.* Perinde ergò erit, ac si quærem: *An statui Integritatis seu Innocentia Immortalitas fuerit essentialis & naturalis?* Quis negabit, nisi cui fungus erit pro cerebello? *ut ut enim per naturam & essentiam suam ex se atq; à se homo istam Immortalitatem non habuerit, tamen in concreto ex ratione per modum inherentiæ naturalis data, concreata, ac statim cum Natura homini collocata fuit, ita ut etiam cum Natura propagari debuerit, B. Carpz. l. c.*

§. LXXV. Fuit igitur Immortalitas Adami, præsuppositâ creatoris voluntate, si totum suppositum consideremus, *naturalis* (α.) *ratione principii proximi*, quod erat anima actuans, & vivificatione naturali vitam perennem conservare debita (β.) *ratione subjecti*, quod erat totus homo, cui per rationem naturæ debebat inesse, (γ.) *ratione consequentis propagationis* per naturalem actum generationis. Corporis vero incorruptibilitas, salvâ conditione non peccandi, etsi supernaturalis esset, quatenus à Deo indita creaturæ huic elementari, in quâ materiæ intuitu, aliqua erat potentia corruptibilitatis, perfecisset tamen corpus naturaliter, ut dignum fuisset



21  
fuiſſet animæ, immortalitate præditæ, habitaculum, nunquam  
niſi per accidens, ſuperveniente peccatõ, deſtruendum, quia  
Adam per naturalem generationem, in poſteros, naturaliter naſ-  
citurus, cum naturâ, cui inhærebat, transfudiſſet. Vide: *Urfini*  
*Quæſt. Bibl. l. V. c. 18. ſect. 7.*

§. LXXVI. Hujus ſententiæ videtur etiam eſſe *Eſtbius l. II.*  
*Diſt. 19. S. 9.* quando concedit, naturalem fuiſſe, ſi naturale ſuma-  
tur (1.) pro eõ, quod inſit à primâ inſtitutione naturæ, (2.) pro  
eo, in quod naturaliter fertur appetitus (3.) pro eo, quod cuiq; in-  
ſit à Nativitate (4.) pro eo, quod in ipſa natura cauſam *æb. quo-*  
*dammmodo ſive partialem habeat.* Negat autem, naturalem fuiſſe,  
ſi vox ſumatur pro eo, quod eſt debitum naturæ, ratione ſuæ eſſen-  
tiæ. Verùm enim verò *per cauſam partialem, Pontificiam ſententiam*  
*prodit ſorex,* cauſas illas naturales tantùm fuiſſe partiales, præci-  
pua verò cauſam ſupernaturalem. *Quamvis igitur, ajunt Pa-*  
*piftæ, natura ipſa cauſam aliquam habuerit Immortalitatis, non*  
*tamen habuit plenam ac totalem, quin potius, ſi dona ſupernaturalia*  
*ab eõ cogitatione ſeparentur, & ſola in eo conſiderentur naturalia, mor-*  
*taliſerat, ita ut neceſſariò moreretur.* apud *Walib. Spong. Moſ. p. 262.*

§. LXXVII. Fundata eſt orthodoxa ſententia in *Scripturâ I.*  
*Eph. II. 3.* ubi vocamur *filii iræ & mortis* *Φύσιν,* ſ. naturâ. *Argumentamur:*  
*Quicumq; poſt lapſum eſt filius iræ & mortis* *Φύσιν,* ille ante la-  
pſum fuit filius vitæ & gratiæ *Φύσιν.* Atqui homo poſt lapſum eſt  
filius iræ & mortis *Φύσιν.* Er. II. Actor. II. 27. *Pſal. XVI. II. Chriſti*  
*caro non potuit videre corruptionem.* Atqui tales nos fuiſſemus  
ante lapſum. *Argumentamur:* Qualem carnem habet Chriſtus,  
talem habuit homo ante lapſum; Chriſtus habuit talem, quæ  
corruptionem non videre debuit, & naturâ fuit immortalis. Er.  
III. *Ultimatè argumentamur ex phraſi, Morte morieris, quæ non ſo-*  
*lum actum, ſed & potentiam ſignificat: Defectus naturalis & con-*  
*creatus homini non eſt declinabilis per obedientiam, nec fructus,*  
*nec pœna peccati. At moriendi potentia fuit declinabilis per*  
*obedientiam, fructus ac pœna peccati. Er: potentia moriendi*  
*non fuit homini naturalis aut concreata, ſed oppoſitum, poten-*  
*tia non moriendi.* *Danbau. l. ſup. c. Vide etiam B. Gerb. Diſp.*  
*ſag. XXII. S. 10.*

§. LXXIII



§. LXXVIII. *Ex aduerso*: Si Protoplastus natura fuisset mortal-  
talis, fuisset, *vel ex defectu animæ, vel corporis naturali*. Non ani-  
mæ, cui dotem naturaliter iniecit Deus, ut animaret corpus, sibi  
hypostaticè unitum. *Non corporis* NB *in concreto*, quia citra pec-  
catum ex dispositione creatoris unio ejus cum anima non potuit  
solvi ullâ naturali causâ, vel internâ vel externâ, quanquam in  
abstracto potuisset. *Hæc perfectio naturalis corporis non inconve-  
niens fuisset nature humane*, quia animæ rationali, eò quod im-  
mortalis est, corpus quoq; immortale aptissimè congruebat;  
*neq; fuisset etiam impossibilis*. Nam etsi Scholasticorum alii du-  
bitent, alii negent, Christianorum tamen nullus nec dubitat, nec  
negat, apud Ursin. *Quest. Bibl. l. V. c. 18. sect. 7.* ubi pluribus proba-  
tur, contrariam assertionem partim ab impiis esse pagani pro-  
fectam, partim duplicis blasphemix Deum accusare, negligentix  
scilicet & impotentix.

## CAPUT VI.

De

### Immortalitate Beatorum.

§. LXXIX.

Aggredimur *immortalitatem beatorum*; rem consolatione  
plenissimam, idq; eò magis, quia certiores nos de eâ reddidit  
Spiritus S. Quare ad propositum veniemus, & ea, quæ metho-  
dus postulat, proponemus, *causas scilicet Efficientem, Formalem  
& Finale*; ad quarum tractationem via n planam faciet *prodromus*,  
probans, idem corpus aliquando in extremo die esse resur-  
recturum.

§. LXXX. Verum est, quod ait *Augustinus serm. 2. in. Ps.*  
88. *Quod in nullâ re tam vehementer, tam pertinaciter contra-*  
*dictum sit fidei Christiane, sicut de carnis resurrectione numericâ.*  
Negarunt acutissimi *Philosophorum gentilium*, in specie *Platonici*

apud



31

apud eundem l. XXII. c. II. de C. D. Negârunt per omnia secula he-  
retici, recensiti à Dn. D. Müllero *Quaest. Semicent. 2. quest. Illustr. 1.*  
His maximâ ex parte consentiunt hodiè Photiniani, resurrectionem  
corporum per novam creationem describentes, occasione perperam  
sumptâ ex παλιγενεσίας vocabulo Matth. XIX. 28. Mentem eorum  
exprimit Smalc. lib. de divin. Chr. c. 13. & Osterodus *Instit. c. 14.* apud  
Dn. D. Müllerum l. c. §. 11. & Magnif. Dn. D. Calov. *Photin. Proflig. p.*  
1663. ubi 22. rationibus probat thesin orthodoxam.

§. LXXXI. Imprimis radiat ex I. Cor. XV. 53. 54. ubi Apосто-  
lus δεικτικῶς per τὸ τῆς corruptibile, immortalitatem induiturum,  
digitis quasi intentis in proprium corpus, loquitur. Ὁμᾶς, commen-  
tatur Theodoretus, τὴν ἀκρίβειαν, τὸ θνητὸν τῆς εἰδειξε δεικτικῶς  
ἵνα μὴ ἄλλης νομίσῃς σαρκὸς ἀνάστασις. Manifestè quoq; distin-  
guit Apostolus inter φθορὰν in abstracto, quæ abolebitur, & φθορὰν  
in concreto, quod ratione substantiæ manebit, quia assumet incor-  
ruptibilitatem, ut observat Dn. D. Müllerus l. c. §. 12. Præterea,  
corpus fuit organon bonorum operum in hâc vitâ, æquum est, ut  
ad communionem præmii assumatur in alterâ vitâ. Fuit confor-  
me imagini Christi crucifixi, æquum est, ut fiat etiam conforme  
imagini Christi glorificati. B. Gerb. *Loc. de vit. æter. §. 80.*

§. LXXXII. Qualitates corporum resuscitatorum erunt multæ,  
quæ intellectus finitus vix poterit comprehendere; vel respectu pio-  
rum, vel impiorum. Erunt autem in duplici differentiâ. Qua-  
dam communes erunt omnibus resuscitatis, tam incredulis,  
quàm credentibus; quedam solis piis ad vitam æternam. Prioris  
generis sunt ἀθανασία & ἀφθαρσία, quas hîc capite adspi-  
ciemus.

§. LXXXIII. *Causa efficiens* hujus Immortalitatis est Spiritus  
S. Sic enim Apostolus I. Cor. XV. 44. *Seminatur corpus ψυχικόν,  
resurgit corpus πνευματικόν.* Ubi corpus πνευματικόν non subtile  
ac ærium notat, ut Origenis somnium voluit ap. Danb. *Dram.*  
*Sacr. p. 358.* sed quod totius Spiritûs S. ἐνεργείας & societatis ca-  
pax sit, unde B. Lutherus in *Enar. hujus loci*: *Non dicitur propterea  
corpus spirituale, quod corporaliter non sit videturum, nec carnem &  
sanguinem habiturum, alioquin enim verum corpus dici non posset,*

E

sed





sed ideo, quod quidem sit victurum, sed non comesturum, verum à solo DEO cibandum & sustentandum, in hoc etiam vitam habiturum est. Ratione enim substantiæ eadem corpora erunt, sed qualitates mutabuntur, sicut lana, in colorem purpureum tincta, manet quidem pristina lana, sed est pulchrior, quàm antea, ut loquitur Chrysestomus Hom. XXXV. in c. 20. Matth. Hinc Tertullianus l. de Resur. car. c. XXVI. p. 376. carnem creatorum Reformatam vocat & Angelificatam ap. Gerb. Loc. de vitâ eter. §. 80.

§. LXXXIV. Nam sicut corpus in via vocatur ψυχικόν ab Apostolo, quia vita omnesq; vitales actiones in corpore fontem habent originemq; ab animæ potentiis, anima enim per organa corporis sentit, per nervos virtutem suam loco motivam exercet; oculi animi virtute vident, aures audiunt, nervi corpus movent. Ita corpora πνευματικά in Patria erunt quidem non ejusdem cum Spiritu S. substantiæ, sed quia, quod nunc est anima corpori, homo tunc, exceptâ hypostaticâ animæ & corporis unione, Spiritus S. & animæ erit & corpori, corpus enim unâ cum anima perfectissimè erit subjectum ductui & gubernatio in Spiritu S. Vide; prolixius deductum à B. Chem. lib. de duabus Naturis in Chr. c. XXX. p. 475. & Augustin. l. XIII. c. 20. 22. de C. D.

§. LXXXV. Nec aliò tendit, quod DEUS aliquando futurus fit omnia in omnibus I. Cor. XV, 28. scilicet, ratione agentis immediati. Nam hâc in vitâ Deus nobiscum agit non immediatè, sed mediatè. Sustentat nos per cibum & potum, sanitatem conservat & restituit per medicamenta, tegumentum corporis nobis præstat &c. Sed in futurâ vitâ Deus erit cibus noster, qui solus reficit, nec deficit, ipse erit animarum ac corporum nostrorum sanitas, ipse erit nostrum ornamentum & munimentum, & sic omnia in omnibus. Quærit Augustinus ap. B. Gerb. l. c. §. 63. Quid est omnia? quicquid hic querebas, quicquid hic amabas manducare & bibere; ipse erit tibi cibus, ipse erit potus, ipse erit Sol, ipse Luna. Volebas sanitatem corporis, ipse erit immortalitas.

§. LXXXVI. B. Lutherus loc. suprâ cit. accommodat locum Apostolicum 2. Per. I. 4. quam tantis extollit laudibus, ut ei similem in utroq; Testamento extare neget, Erimus Θεός Φύσεως

ἡσυχαστοῦ





κωνοί, h.e. divinæ sapientiæ, veritatis, justitiæ, bonitatis, vita, lætitiæ, immortalitatis, & reliquorum summorum in Deo bonorum ap. B. Gerb. l. c.

§. LXXXVII. *Nec obstat, quod etiam in hac vitâ renati agantur Spiritu Dei, & κωνοίον habeant Spiritus. Distinguimus enim inter habere Spiritum per fidem & ut arrhabonem tantum, & inter habere Spiritum S. per gloriam ut plenitudinem.* Caro quidem hic possidet animam ut plenitudinem, & ut non arrhabonem tantum, non autem Spiritum S. Quapropter *hic animale corpus propter plenitudinem animæ, illic spirituale propter plenitudinem Spiritus, Tertul. de Resur. car. c. LIII.* Nec est, quod Latini interpretes recentiores spiritum & animam pro synonymis, & animale corpus esse putent, quod ab animâ vegetativâ nutritur; spirituale verò, quatenus à spiritu animæ, vivificante sine externo subsidio, conservatur, utut approbetur ab Esthio & Corn. à Lap. Φιλοσόφου. *Quia tamen est, quod Apostolo non venisse in mortem fermè jurare ausim, ut loquitur Ursin. Quæst. Bibl. l. V. c. 18. sect. 4. quia Spiritus vivificans semper alibi est Spiritus S. ut Rom. VIII. II. distinctè semetipsum explicat. Ursin. l. c. ex divinâ visione Apoc. XXII. 1. 2. Uterius rem deducit non sine elegantia.*

§. LXXXIIX. *Circa formam multum disputant Scholastici. Nos dicimus breviter: Post inhabitationem Spiritus S. utpote causam efficientem primariò consistere in Impeccabilitate, que causat sanitatem; sanitas impassibilitatem; hæc æternam immortalitatem.* De Impeccabilitate sic loquitur Jer. L. 20. *In diebus illis & in tempore illo queretur iniquitas in Israel, & non erit (neq; actu neq; potentia) & peccatum; Juda, & non irrenitur, quod vaticinium de Ecclesia Triumphante intelligendum est, quia beneficia illa N. T. de quibus Propheta ibidem agit, inchoantur tantum in hac vitâ, in futura autem erunt perfecta & completa. Quòd? quòd omnes peccati cause aberint, ut adeò peccandi facultate privati sint beati; quòd tamen non erit, libertatem minui, sed augeri. Longè enim est præstantior libertas, ea tantum velle posse, qua displicitura sint nunquam, quam*



ea etiam velle posse, quæ aliquando nolle sit necesse, ait *Baptista Mant. l. III. de Patient. c. 26.* Certè DEus ipse, nunquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? *August. lib. XXII. c. 30. de C. D.*

§. LXXXIX. Remotâ causâ, omnis moriendi potentia removetur, non enim foret consentaneum, ut si fons areseat, consistat fluvius, & si evanescat radix, maneat fructus, ait *Chrysostr. in 1. Cor. hom. XXXIX.* Causat ergò impeccabilitas sanitatem immutabilem & inviolabilem, ut ineffabili quâdam dulcedine suavitatis, totum hominem repleat, & omne, quod alicujus in se vicissitudinis, mutabilitatis aut lesionis suspicionem prætereat, procul arceat atq; repellat. *Anselm. lib. de simili: c. 54. ap. Gerb. l. c. §. 90.* Si enim primæva hominis conditio sanitatem obtinebat per fructum arboris vitæ, quanto magis in tempore πάντων δόξα καὶ εὐφροσύνη felicitatem illam electi habebunt, manducaturi de ligno vitæ, quod est in Paradiso *Apoc. II 7.* Proinde tanta erit tunc concordia carnis & Spiritus, vivificante Spiritu carnem subditam sine sustentaculi alicujus indigentia, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita neq; intus nosmetipsos patiamur inimicos, ut loquitur *August. Enchir. c. 91.*

§. XC. Hæc sanitas omnem Impassibilitatem removebit; nam passio est partialis quædam corruptio, & ad mortem quasi præparatio. Impassibilitatem dico à passionibus corruptivis & maleficis, quæ corpus lædunt & conficiunt, non verò perfectivis, quæ naturam potius juvant, & sanctis non κακίωσιν, sed Βελίωσιν tribuunt; non enim læditur oculus pulchris coloribus, nec auditus svavi harmoniâ, *B. Gerb. l. c. §. 90.* Sicuti enim *Christus primitiæ resurrectionis nobis factus est, ita etiam incorruptibilitatis & impassibilitatis, ait Damasc. l. III. Orth. Fid. c. 28.*

§. XCI. Erunt ergò impassibilia corpora Beatorum partim ab intra, partim ab extra. Ab intra (α.) ratione formæ propter animæ perfectissimam actuationem, perennemq; & plenum  
in



30  
in corpora dominatum, ut loquitur *Thomas apud Ursin. l. c.* Anima enim communicabit quodammodo corpori ea, quæ sibi sunt propria, corpus enim humanum, & quicquid in eo est, perfectè erit subjectum animæ rationali, sicut anima perfectè subjecta erit Deo. Perficietur verò plenarium illud imperium animæ in corpus à qualitate supernaturali, divinitus infusa. Hoc dominium verò animæ tanquàm formæ super corpus ut materiam, debilitaretur, si corpus gloriosum pati posset. Omnis enim passio fit per victoriam agentis super patiens. Impossibile autem est, ut aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formæ propriæ super materiam patientis. *B. Gerb. l. c. §. 90.*

§. XCII. (B.) *Ratione materiae*, propter ejus sublimationem, additâ stabili aliquâ virtute, quâ omnis excludatur incorruptibilitas, ut loquitur *Ursin. l. c.* Nec mirari debemus, quod τὸ τὸ σῶμα, in hoc mundo passionibus obnoxium, in alterâ vita impassibile futurum sit, R. enim *Tertul. de Resur. car. c. 17.* manebit quidem caro etiam post resurrectionem eatenus passibilis, quâ ipsa, quâ eadem: ea tamen impassibilis, quâ in hoc ipso manumissa à Domino, ne ultra pati possit. Accedit potentia materiae ligata ad unam formam, & ita ex satiata ab ea, ut aliam nec appetat, nec admittat. *B. Gerb. l. c. §. 89. & 90.*

§. XCIII. *Ab extra* Dei providentia omnes passibilitatis causas arcebit, imprimis loci salubritate, in quò non erit ullus æstus, ullum frigus, quod beatis nocere possit, neque cadet super illos Sol Apoc. XVII. 16. Beati erunt Reges & victores, erunt Domini omnium creaturarum. Er: nemo illis injuriam inferre audebit; mors non erit ultra, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra, Apoc. XXI. 4. Non erunt ibi gladii dissecantes, & si vel maxime essent, non possent tamen lædere corpus glorificatum, quàm aërem, quàm cælum, quàm spiritum.

§. XCIV. *Movent questionem* hòc locò; *an beati edere poterunt?* Ad quod R. cum *Aug. l. XXII. de C. D. c. 22.* distinguendo inter *esum ex cōdicia seu indigentia & necessitate*, & inter



esum ex liberâ dispensatione & οἰκονομία. Illam negamus Rom. XIV. 17. unde etiam Thom. l. IV. cont. Gent. multis argumentis probat, nullum ciborum usum post resurrectionem futurum; hanc concedimus, non n. potestas, sed egestas edendi & bibendi talibus corporibus auferetur, ut iterum loquitur August. Epist. 49. quest. 1. Sic manducavit Christus cum Apostolis post resurrectionem Luc. XXIV. 43. Joh. XXI. 15. Act. I. 4. ut resurrectionis veritatem in animis discipulorum confirmaret; sic angeli, visibiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, sui ministerii quâdam humanitate fecerunt. *Declarant rem simili*: Aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens. Illa indigentia, iste potentia. *Futura ergo resurrectionis corpus imperfecta erit felicitatis, si cibos sumere non poterit, imperfecta etiam felicitatis, si cibis egerit. Aug. l.c.*

S. XCV. *Finis est visio beatifica*, competens beatis quoad totum suppositum in omnem æternitatem. Videbunt ergo *essentiam totius Trinitatis oculis corporeis*, quam visionem summam beatitudinis fore ex Scriptura novimus, 1. Joh. III. 2. *Erimus similes DEO (qualitative) quia videbimus eum, καὶ ὡς Θεὸς sicut est.* Er: similitudo illa qualitativa cum Deo ex visione divinæ essentiæ dependet, quia nemo Deum videre potest, nisi quia ab omni peccabilitate alienus, virtutibus divinis est ornatus. Ἀπὸ Θεοῦ ἀγαθῶν verò dicitur ἁγία, proinde ἀντιφασικὸν foret, statuere, beatos videre Deum, sicuti est, & non videre Deum in essentia; nam particula καὶ ὡς, respondens ὅ Hebræorum, h. l. non est similitudinis, sed veritatis, ut usurpatur ὡς, Joh. I. 14. ap. B. Gerhard. l. c. §. 136. Quod etiam ex ἰσχυροῦς Beatorum Matth. XXII. 30. patet.

S. XCVI. Quod vero Beati visuri sint *Essentiam divinam oculis corporeis*, sicuti Christus incarnatus oculis corporeis patrem videt, non temerè negandum est cum *River. in Exod. p. 129.* quid enim impedit oculo, spirituali qualitate dotato, spiritum videre, præsertim præeunte Scriptura, 1. Cor. XIII. 12. *Cernimus nunc per speculum (vel naturæ, vel symboli, vel verbi revelati) in enigmate,*



in enigmate, tunc autem *ὁρῶσιν ὡς ὁρῶσιν*. Quoties verò prædicatum hoc tribuitur subjecto oculato, toties visionem ocularem notat, ut adeò evaporet exceptio, Matth. XI. 10. ubi etiam angelis tribuitur visio fac ei divinæ, qui tamen oculari-ter non vident. Deinde aliud est videre *ὁρῶσιν* Dei, aliud vi-  
dere *ὁρῶσιν ὡς ὁρῶσιν*. Illud angelis competit, hoc hominibus, & plus importat, quàm illud: A facie enim ad faciem videre connotat etiam corporalis visionis organon.

§. XCVII. Insignia etiam & consolationis plenissima ver-  
ba sunt Joh. c. XIX. 26. quando ait *וּמִבְּשָׂרִי אֲחֻזֶּה אֱלֹהִים*,  
*in carne meâ videbo DEum*, ubi vox *וּמִבְּשָׂרִי* non cohæret cum  
duabus postremis, sed ponitur solitariè, reliquæ enim duæ cohæ-  
rent, quod patet ex accentuatione, hõc sensu; *ex carne mea,*  
*videbo DEum*. Nam (α) *secunda vox habet ministrum distincti-*  
*vum Merca, Er.* cum primâ voce non potest conjungi (β) *ea-*  
*dem vox secunda in relatione ad tertiam habet ministrum con-*  
*junctivum Merca.* Er. Cum tertia voce tatione sensus con-  
jungitur (γ) *Prima habet Rbbia cum Geresch.* Er. divellitur  
ratione sensûs à reliquis duabus vocibus, uti probat inducti-  
one plurimorum exemplorum *Excell. L. Scherz. l. II. Miscel.*  
*Sac. c. 8. §. 8.* & sic expirat explicatio illa, quæ *וּמִבְּשָׂרִי* ad  
*אֱלֹהִים* refert, & Deum incarnatum tantùm his verbis innui-  
cupit.

§. XCVIII. *Nec obstat materialitas organi, ut sentit Thom.*  
*cum quibusdam Scholasticis apud B. Hülsem. Brev. p. 265 nam*  
*glorificatio aptum reddit, quod fatetur Valentia quest. 12. punct.*  
*8. quando asserit, essentiam quidem DEI naturaliter propor-*  
*tionatam non esse visui corporeo, potentiam tamen sensitivam per*  
*donum gloria supervenientis, mediante oculo corporis, posse vi-*  
*dere objectum spirituale, non minus, quàm intellectus finitus*  
*per gratiam apprehendere potest objectum infinitum. Quid?*  
*quod ob rationes Phycas, à communi & ordinario natura cur-*  
*su petitas, immensa & infinita DEI potentia limitari, coarctari*  
*ri &*





ri & constringi neuiquam possit, ut loquitur *Seal. Exerc. 368. sect. 9.*

§. XCIX. *Distincta erit Glorificatorum mortalitas I. ab immortalitate DEI, qui à seipso ἑδιδωκός καὶ αὐτὸ καὶ τῆ Φύσιν erit immortalis; beati vero κοινωτικῶς καὶ τῆ χάριτι. Nam angeli & homines non suâ natura, sed per DEI gratiam habent Immortalitatem, ait Hier. l. 2. contra Pelag. II. Ab Immortalitate angelorum & animarum, quæ hōc dono gaudent per gratiam creatoris & propter essentialē à materia segregationem; sed corpora beatorum glorificata immortalia erunt propter perfectissimam divinæ imaginis restitutionem & singularem Dei ordinationem.*

§. C. III. *Ab immortalitate primi hominis. Conveniunt quidem Paradisiaca & cælestis Immortalitas in hoc, quod utraq; pendeat ab unione quâdam cum Deo; differentia tamen utrinq; maxima (α.) ratione causæ efficientis proxime. Beati semper vivent per inhabitationem vivificantis Spiritus Dei; Protoplastorum animalis vita, quam voluntate divinâ egissent per Spiritum animæ, in spiritualem aliquando transiisset. Potuit in Adamo ex suppositione nullō defectu naturæ solvi unio animæ & corporis, illic non poterit. (β.) ratione formæ. In cælo erit Immortalitas insolubilis simpliciter; quia in bono confirmati simpliciter erunt impeccabiles; nihil est autem, quod Deum & hominem separari possit, aut invicem divellere præter peccatum; In Paradiso autem fuit conditionata quædam non moriendi potentia, in medio Immortalitatis & mortis constituta, potens solvi unâ ratione, si peccasset homo, non vitio aliquo naturæ, sed abusu liberi arbitrii. (γ.) ratione causarum corruptionis intrinsecarum & extrinsecarum. Nam à Beatis abe-runt omnes etiam remotæ, ab Adamo abfuere omnes propinquæ.*

§. CI. IV. *Ab Immortalitate Damnatorum. Erunt enim damnati ita immortales, ut quærant morrem, fugientem ab eis,*  
Apec.



39.

Apoe. IX. 6. unde respectu beatæ vitæ dicuntur æternùm 'mori  
sed immortalitas, corporum beatorum cum aliis glorificati-  
onis dotibus erit conjuncta, de quâ re in sequenti capite  
plura.

## CAPUT V.

De

### Immortalitate Damnatorum,

#### §. CII.

Quomodo futura hæc sit Immortalitas in igne æterno,  
satius videtur esse nescire; verùm cum timor plus moveat,  
quàm spes, non inconcinne visum est eruditis meditatione dili-  
genti ad hunc ignem accedere, ut plus satis incalescat vetus A-  
dam, sicuti *Chrysostomus hom. in 2. Thes.* verè admonet: ἔδὲν  
ἔγω χησίμων ὡς τὸ πρὶ γέννης ἀγλάγας μὴ φύγωμεν τὴν τῆς  
κολασίας μνήμην, ἵνα μὴ κολαδῶμεν. Quod caput nostrum  
ultimum observabit.

§. CIII. In antecessum *presupponimus*, resurrectionem a-  
liquando fore universalem respectu piorum & impiorum, secus  
ac sentiunt *Photiniani & Judæi*, impios in extremo die aut non  
resurrecturos, aut statim in nihilum redigendos. De *Judæis*  
*testatur Buxtorf. Synag. Jud. c. 1. p. 33.* Ex *Socinianis* disertè affir-  
mat *Smalc. contra Franz. p. 409.* jure justò colligi, impios æter-  
nùm non esse victuros, quia Scriptura affirmat, solos pios victu-  
ros in æternum. *Broehm. de Resur. c. 2. §. 3.*

§. CIV. Roboramus hanc hypothésin testimonio, Joh.  
V. 28. *Veniet hora, & nunc est, quâ omnes, qui in monumen-  
tis sunt, audient vocem filii hominis, & prodibunt, qui bona fe-  
cerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem*  
F judicii



judicii. Suggillat *Smalc. p. 171. Diss. 6. de Bon. Op. non agere*  
Christum de resurrectione mortuorum, sed vocatione gentium,  
qui nominantur mortui & in monumentis existentes ob statum  
eorum deploratissimum Resp. (α.) Collatio antecedentium à  
vers. 20. probat contrarium (β.) vocatio gentium facta est me-  
diatè per vicaria Apostolorum opera, post adscensionem Christi,  
præfens locus agit de vocatione immediata per filium hominis.  
*Urget Socinus*: Dicitur, hora nunc est, Hora autem vocati-  
onis gentium, non resurrectionis mortuorum tunc erat. R. Di-  
stinguendo inter *horam resurrectionis mortuorum respectu homi-  
num & respectu DEI*; Christus loquitur respectu Dei, coram  
quò mille anni ut dies sunt Psal. XC. 4. cùm tempus inter u-  
trumq; Christi adventum interjacens reverà novissima hora sit.  
Vide *Hun. in Epist. Job. Tom. IV.*

§. CV. Probat *existentiam* hujus immortalitatis *perpetuae*  
*inæ divine duratio*, quæ ardet usq; ad inferni novissima, Deut.  
XXXII. 22. Quamdiu igitur Deus vivet, tamdiu damnati  
morientur. Deindè *omnia illa loca Scripturae, que æternitatem*  
*infernaliū penarum ostendunt*, quod æternus futurus sit & *inex-*  
*tingibilis*, Es. LXVI. 24. Marc. IX. 44. seqq. *ratione scilicet actūs*,  
quod importat non tantum ipsa litera l. c. sed etiam oppositio  
perpetuitatis novi coeli & terræ novæ, Matth. XXV. 46. ibunt  
illi quidem *εις κόλασιν αιώνιον*, in æternum supplicium, justi  
verò *εις ζωην αιώνιον*. Qualem ergò rationem perpetuitatis ha-  
bet vita æterna, talem & æternum supplicium. Sed vita æterna  
perpetuitatem habet non ratione effectūs, sed ratione actūs.  
Er. & æternum supplicium. Inde *Gregor. l. IV. Moral. Dial.*  
*c. 44. Constat & incunctanter verum est, quod sicut finis non est*  
*gaudii bonorum, ita finis non erit tormenti malorum, quia enim*  
*cerum est, quod veritas promisit, falsum esse non potest, quod*  
*vominata est.*

§. CVI. Planam igitur ad Epicureismum viam sternunt  
*Rhoriniani*, quando planè impiorum cruciatus æternos negant,  
*& Spiritus*



& Spiritus malos universos unà cum tota impiorum catervâ plane abolendos, destruendos, & perdendos, ut loquitur Crellius, docent, quanquam cæteri mitiùs loqui & sentire videantur. De quo Magnif. Dn. Calov. Phocin. Prof. p. 115. unde Smalc. cont. Frantz. p. 414. ignem æternum explicat non ratione continuati cruciatûs, sed ratione effectûs tantùm, quod æternum exitium afferat, sicut Epist. Jud. 7. ignis, quò Sodoma exusta est, æternus appellatur, quia æternum exitium attulit civitati. Sed R. Æternitas illa penarum non de urbibus, sed incolis urbium, necessariò explicanda, non enim urbes, sed incolæ peccârunt. Præterea Scriptura disertè affirmat, impios sine fine cruciari in secula seculorum Apoc. XIV. 9. 10. c. XX. 10. quæ dicta ita urgent Smalc. ut cogatur dicere Diss. de Extremo Jud. cont. Franz. p. 414. verba illa nos planè admittimus, & illis fidem habemus.

§. CVII. *Causa efficiens duplex: Exterior ac περικαταρακη, creaturæ rationalis apostasia; interior ac περιγυμνη, im-* mota DEI justitia ultrix & irata, cui oportet satis fieri, & *infallibilis veritas*; quocunq; die comederis, morte morieris; propterea etiam tota congeries malorum, quæ damnatos prement, *ὄργη & Θεῶν*, Eph. V 6. Rom. II. 8. Col. III 6. vel *ποτήριον ὄργης & Θεῶν*, Apocal. XIV. 9. nominatur, & sic ira divina nomine *ἐπιτομικῶς* exprimitur.

§. CIX. *Dependet igitur hæc conservatio damnatorum corporum in igne æterno ab omnipotenti DEI virtute, quæ omnia, quæ sunt & subsistunt, sustentat, vel ex gratia, vel ex ultione.* Unde 2. Thess. I. 9. impii dicuntur daturi pœnam, *ὄλεθρον αἰώνιον, ἀπὸ προσώπου & κυρίας, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης, τῆς ἰαυῆς αὐτῆς*, h. e. à gloriosâ virtute seu robore ejus, quia virtus DEI in mediis inferorum flammis illos conservabit, ne ab igne infernali in nihilum redigantur, sicut ignis judicii cælum & terram in nihilum rediget. Proinde rectè loquitur Thom.: *Quodlibet. VII. art. 11. apud B. Gerb. §. 32. corpora damnatorum*

F 2

erunt





*erant incorruptibilia, quamvis sint passibilia, incorruptibilitatis autem prima causa & principalis est justitia divina, qua conservabit corpora damnatorum in pœnis perpetuis, inde est, quod status Domini sicut torrens sulphuris infernum succensurus dicitur* Esa. XXX. 33.

§. CIX. Sicut enim sulphur torrentis perpetuum suppetat igni nutrimentum, ne extinguatur; ita quoq; vindicis DEI ira ultrix, cum sit æterna & nunquam desitura, perpetuum igni infernali exhibebit fomentum, *carneq; damnatorum reddet insolubilem, ac in æternam permanentem, ut Laët. loquitur l. VII. c. 21.* Sicuti fons vitæ à sede DEI in cælestem Hierosolymam profluit ad lætificandam civitatem DEI, & conservandam Beatorum gloriam in perpetuâ viriditate Apoc. XXII. 1. sic torrens sulphuris à DEI flatu erumpet, qui perpetuo igne damnatos in æternum cruciabit.

§. CX. *Objectum hujus à θανάσιος, vel potius, si licet effari, αθανάσιος, erunt damnati quoad totum suppositum, ita ut cruciatus infernales animam simul attingant & corpus. Nam, uti, Prosper lib. III. de vit. contempl. c. 22. loquitur, cruciatus, dolor & gemitus torquent animas damnatorum, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Et Hincmarus Remensis in Epist. ad Hincmarum Lugdunensem c. 54. apud Gerb. de Infer. §. 60. Animam immortaliter morientem reatus involvet, & indeficienter non deficientem carnem gehenna consumet.*

§. CXI. Probamus cum B. Gerb. l. c. §. 83. (α.) dictis, Matth. X. 28. Dicitur DEUS animam & corpus perdere in gehenna, nimirum cruciando, non trucidando & in nihilum redigendo (β.) exemplis eorum, qui vivi in & cum suis corporibus, animæ conjunctis, in infernum descenderunt. Num. XVI. 33. Ps. LV. 16. Apoc. XIX. 20. (γ.) rationum monumentis. Corpora impiorum fuerunt arma iniquitatis & injustitiæ Rom. VI. 13. I. Cor. VI. 18. justum igitur, ut, quæ conjuncta fuerunt in culpa, eadem socientur in pœna. Unde Haymo Dom. II. post



post Pent. *Iustum est, ut qui animam simul & corpore peccant, ante iudicium in anima, post iudicium verò in anima & corpore crucientur.*

§. CXII. *Nec obstat. I. Dolor in corporibus, qui occidere posse videtur corpora. Nam cuius rationis est dolorem facere mortis argumentum, cum vite potius sit indicium? August. l. XXI. de C. D. c. 3. Sic necesse quidem est, ut vivat dolens, dolor enim, nisi in re vivente esse non potest, non est necesse, ut occidat dolor, quia nec corpora ista mortalia & utiq; moritura omnis dolor occidit. Ut autem dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atq; discedat; quoniam ipsa compago membrorum atq; vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ magnum vel summum dolorem facit, non queat sustinere. Tunc autem tali corpori anima eò connectetur modo, ut illud vinculum sicut nullâ temporis longitudine solvitur, ita nullò dolore rumpatur. Quid? quod omnis dolor primò pertineat ad animam, dolere enim anima, etiam non dolente corpore, potest, dolere autem corpus sine animâ non potest. Cur ergò illa, quæ magis dolere potest, non potest mori, quid momenti affert, cur illa corpora, quoniam futura sint in doloribus, ideò etiam moritura esse credamus? uti elegantissimè deducit August. l. 6.*

§. CXIII. *Nec II. Ignis infernalis vehementia, ac si incinerem redigere possit corpora damnatorum; fiet enim per divinam potentiam, quæ corpora illa simul passibilia & immortalia faciet. Unde Thomas l. IV. cont. Gent. c. c. 89. ait. Dicitur potest, ignem inferni non actione merè naturali agere in corpora damnatorum, sed ut DEI instrumentum, ideòq; agere poterit actione, quæ verè ac realiter cruciet corpora, non tamen illa corrumpat. A posteriori rem declarat Guilielmus Alvernus ap. Gerb. §. 61. Constat, multos homines in mediò ignium per bonitatem creatoris illæsos fuisse servatos, & tam à læsione corporum suorum quam*



quàm ab omni dolore tam corporali, quàm spiritali liberatos. Quia igitur non est majus creatori ab alterò duorum salvare vel liberare, quàm à duobus simul, quæ est admiratio aut incredulitas stultorum de hoc, quod, salvatis corporibus, in mediò futurorum ignium, & illæsis per omnia in ipsis per ignem hujusmodi animæ sint torquendæ. Facilius enim est in se, non dico quantum ad omnipotentiam creatoris, sola corpora sic servare, quàm animas & corpora simul. Quod si dixerit, quia ignes illi infernales incomparabiliter fortiores sunt ignibus hujus seculi, verum utiq; dicit, sed ista corpora damnatorum erunt incomparabiliter fortiora ad sustinendum ignes hujusmodi.

§. CXIV. *Similitudinibus declarat August. l. XXI. de C. D. c. 2. seq. (a.)* à fulminibus, corpora tangentibus non absumentibus (β.) à montibus ignivomis, quia à tanta diuturnitate temporis atq; vetustate usq; nunc & deinceps flammis æstuant, ac integri perseverant, igitur satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi. (γ.) Ab animalibus in igne viventibus, Salamandra &c. *Concludit: Sic ut ergò in his & aliis natura miraculis sufficiens ratio alia reddi non potest, nisi voluntas omnipotentis creatoris; ita ratio alia dari vix poterit, quod corpora damnatorum, in doloribus ignis infernalis futura non sunt moritura. In rebus enim, scribit Epist. 3. ad Volus. quæ captum mentis humane superant, tota ratio credendi est omnipotentia creatoris. Demus igitur, aliquid DEUM posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

§. CXV. *Nec aliter respondet Lactant. l. VII. c. 20 21. ad dubium Stoicorum, quomodo immortalis anima damnatorum patibilis dicatur, ac pena sentiens? nimirum; tantam esse DEI potentiam, ut etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili modò. Quid ergo mirum, si, cum sint immortales animæ, tamen patibiles sint DEO.*

§. CXVI.



§. CXVI. *Causam formalem intrinsecam* quærit rectè Thomas lib. IV. cont. Gent. in perfectâ anima informatione, dominabitur enim etiam in damnatis anima perfectè in corpus, quoad effectum vivificationis, & dabit stabile atq; inamissibile esse. Quæ incorruptibilitas in Beatis quidem ( ut ait Scotus in 4. Distin. 4. art. 3. ) habebit rationem dotis, quia derivatur ex beatitudine ipsius animæ, verùm in damnatis erit effectus justitiæ distributiæ, ut ultio malorum sit perpetua. Et sic etiam videtur docere Cyrillus Hierosolymitanus ap. Leonb. Coqueum in Not. ad l. XXI. c. 4. August. de C. D. dicens; Excitabuntur, æterna habentes corpora. Omnes autem similia, sed qui est justus, corpus accipiet cœlestè, ut possit cum angelis dignè conversari; si verò peccator est, accipiet corpus æternum, quò sufferre possit pœnas peccatorum, ut perpetuò in igne ardeat, & nunquam dissolvatur.

§. CXVII. Finis itaq; est, duratio in perpetuis cruciatibus, ut sufficere possint igni sempiterno. Perpetuitas enim in damnatis necessariò asserenda, quoniam aliter non esset satisfactum justitiæ creatoris, nisi qui hîc fuere in corrigibiles, perpetuò torquerentur in vitâ futura. Perpetuitas autem hæc non potest esse in subjecto mortali, præsertim in eâ magnitudine ac vehementia, quâ futura est, quam sustinere non possent ullò modò corpora, quæ non essent immortalitate firmata.

§. CXIIX. Nec finient hos cruciatus Misericordes Misericordia divinâ, quod tanta sit, ut in æternum non irascatur, Pf. LXXVII. 8. 9. 1. Rom. XI. 32. A misericordiâ enim divina in hæc vita, quæ antecedenter ad bonos & malos universaliter, consequenter ad bonos tantum particulariter se habet, ad misericordiam in alterâ vitâ, ubi nulli erit locg. N. V. C. Matth. XXV. 10. Jac. II. 13. Heb. III. 13. & c. VI. 8. Quid? quod damnati singulis momentis inferno sint peccaturi, & DEum præ doloris





doloris & cruciatuum magnitudine blasphematuri, ut expressè Apoc. XIV. II. Vide Gerh. l. c. 76.

§. CXIX. *Nec annihilabunt Phœnicians corpora damnatorum, quod Status eorum mors vocetur. R. enim Augustinus l. XIX. de C. D. c. 28. Misera damnatorum sempiterna ideò secunda mors dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à vita DEI alienata erit, nec corpus, quod aternis cruciatibus subjacebit, ac per hoc ideò durior ista secunda mors est, quia finire morte non poterit. Justò enim judiciò fiet, ut, qui viventes hîc semper moriebantur. I. Tim. V. 6. illic morientes semper vivant, & incipiant dicere montibus: Cadite super nos, & vallibus, operite nos Apocal. IX. 6, mortem quoq; optent & quærent, non per optationem ἀνπαρξίας, & redactionis in nihilum, quia mors nullibi vocatur ἀνπαρξία, sed quod in comparatione cruciatuum atrocissimorum Ποβερω̄ν Ποβερω̄τατων exoptaturi sint damnati, ut videtur B. Gerh. l. c. §. 38. Concludimus verbis horribilibus & tremendis Augustini lib. XIII. de C. D. c. II. Ibi non erunt homines ante mortem, nec post mortem, sed semper in morte; atq; per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes.*

Immortali DEO Gloria Immortalis!





FF III

ULB Halle

003 266 753

3




A

VD77

Retro











A B C 35

*Juvante Jovâ!*  
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,  
De  
**Immortalitate,**

Sub PRÆSIDIO  
VIRI,  
*Maximè Reverendi, Amplissimi ac  
Excellentissimi,*  
DN. JOHANNIS MEISNERI,  
SS. Th. Doct. & P. P. Facult. Theol.  
Senior. pro tempore Decan. templi Ca-  
thedr. Præpositi, & Consist. Eccle-  
siastici Assess.

*Patroni ac Præceptoris colendisimi,*  
proponit

**M. Gottfried Müller /**

Stolbergensis Misnicus.

*Ad diem Octob. M. DC. LXIV.  
In Auditorio Majori.*

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.  
ANNO M DC XC.

No. 34.

an 35

